


1825

Theolog polit

SYNODUS PROVINCIALIS, GNESNENSIS PROVINCIÆ:

SUB

ILLUSTRISSIMO & REVERENDISSIMO DOMINO,

D. JOANNE WĘZYK,

Dei & Apostolicæ Sedis Gratia
ARCHIEPISCOPO GNESNENSI,
Legato Nato, Regni Poloniæ Primate,
Primoq; Principe,

PETRICOVIÆ

Anno Dñi, Millesimo Sexcentesimo Vigesimo octavo. Die vigesima secunda, Mensis Maij.

celebrata.

C R A C O V I Æ,
In Officina Andreæ Petricovii, S. R. M. Typographi.
Anno Domini, M. DC. XXIX.





JOANNES WĘZYK,

Dei & Apostolicæ Sedis Gratia

ARCHIEPISCOPUS GNESNENSIS.

Legatus Natus, Regni Poloniæ Primas, & Primus Princeps.

Illustrissimis & Reverendissimis DD. Archiepiscopo Leopoliensi, aliisq; Provinciæ nostræ Gnesnensis, Episcopis, Dominis Fratribus nostris charissimis, ac ipsorum Capitulis, universoq; Clero, Salutem in Domino.



Rodeunt tandem in publicum Constitutiones Synodi Provincialis, quam Divino adjuti auxilio, anno superiori celebravimus, à S. Sede Apostolica approbatæ, & per Admodum Reverend: D. Joannē Foxium, J. V. D. Archidiaconum Cracovien: quem ex ejusdem Synodi voluntate, pro ipsarum confirmatione in Urbem miseramus, à SS. Dño Nostro *ad nos remissæ, unà cum Brevi ejusdem SS. Dñi Nostri, & literis Illustriss: Dñi Cardinalis* UBALDINI, *Sacræ*

Congregationis Illustrissimorum S. Concilij Tridentini Interpretum Præfecti. Quarum tenor talis est:

URBANUS PP. VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

MIlitantis Ecclesiæ regimini, nullis licet nostris suffragantibus meritis, Divinâ dispensatione præpositi, ex injuncti nobis muneris debito, felici, prosperoque Ecclesiarum quarumlibet statui, & directioni, sedulò intendimus, atque hæc, quæ propterea, præsertim per earundem Ecclesiarum Præsules, piè, & providè facta fuisse comperimùs, ut firma perpetuò subsistant, inviolatèque observentur, Apostolicæ nostræ confirmationis munimine roboramus; prout ad Divini cultus, ac Catholicæ Religionis incrementum, animarumquè Christi fidelium salutem conspicimus in Domino salubriter expedire. Cùm itaquè sicut ex literis Venerabilis Fratris JOANNIS, Archiepiscopi Gnesnensi per dilectum filium Joannem Foxium, Archidiaconum Cracoviensem à Clero Regni Poloniæ ad Nos pro præsenti confirmatione obtinenda missum accepimus, ipse Anno proximè præterito,

M. DC.

M. DC. XXVIII. Synodum Provincialem celebraverit, in ipsaquè Synodo nonnulla Decreta, quæ à Venerabilibus Fratribus Nostris, S. R. E. Cardinalibus, Sacri Concilij Tridentini Interpretibus, jussu Nostro accuratè perlecta, & recognita, ac ubi opus fuit, emendata sunt, condita fuerint: Nos egregiam ipsius JOANNIS Archiepiscopi, & Venerabilium Fratrum Episcoporum Comprovincialium suorum pietatem, & Catholicæ Religionis zelum, ac in Nos, & hanc Sanctam Sedem, devotionem summoperè commendantes, & communi in illa Provincia eorum Decretorum observationi, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, Synodi præfatæ, quam eidem JOANNI remittimus, Statuta, sic ut præfertur, recognita & emendata, ab omnibus & singulis personis Ecclesiasticis, tàm Sæcularibus, quàm cujusvis Ordinis Regularibus, ac alijs in dignitate Ecclesiastica constitutis, ad quos quomodolibet spectat, inviolabiliter observari præcipimus, & mandamus, eundemq; JOANNEM Archiepiscopum, & Episcopos Comprovinciales suos præfatos, hortamur in Domino, & attentè monemus, ut Decreta præfata, juxta eorum formam, & tenorem, in suis Diœcesibus publicent, & illa publicari, atque ab

omnibus & ſingulis dictæ Provinciæ perſonis, Sæcularibus & Regularibus, alijſque præfatis, in omnibus & per omnia integrè, ac ſub ſententijs, cenſuris, & pœnis in eis forſan contentis, recipi, admitti, obſervari, præſtari, & debitæ executioni demandari faciant. Decernentes neminem ab eorum obſervatione, quovis prætextu & cauſa ſe excuſare debere: ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis authoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. In contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris, die XXVIII. Auguſti, M.DC.XXIX, Pontificatus Noſtri Anno Septimo.

M. A. Maraldus.

Literæ Illuſtriſsimi Cardinalis Ubaldini.

PErilluſtris ac Reverendiſſime Domine, uti Frater, Provincialem Synodum ab amplitudine Tua, iſthic cum ſuis Comprovincialibus Epiſcopis, ac de eorum conſilio, & aſſenſu, hoc præſenti Anno M.DC.XX VIII. Menſis Maij celebratam, ac Conſtitutiones in ea conditas, ad Sanctiſſimum D.N. miſſas, Illuſtriſſimi Cardinales Concilio Tridentino interpretando præpoſiti, ex munere injuncto, ac ſpeciali ſuæ Sanctitatis juſſu recognoverunt, &

ex illis

ex illis Amplitudinis Tuæ, & DD. Episcoporum, qui interfuerunt, pietatem, summam religionem, devotamque in Sanctam Sedem Apostolicam observantiam perspexerunt. Mirati tamen sunt, cùm ipsa multos Episcopos, Suffraganeos habeat, quatuor tantùm ex illis ad ipsam Synodum accessisse. Nunc verò eandem Synodum, & Constitutiones, ad Amplitudinem Tuam remittimus, emendatas, atq; aptatas, ut eo modo, quo tàm Synodum, quàm ipsas Constitutiones receperit, pro istorum populorum salute, & Ecclesiasticæ disciplinæ conservatione, in sua Ecclesia, totaq; Provincia, omninò observandas curet; ut egregiæ suæ industriæ, pijq; laboris fructus, quos sibi initio proposuit, uberiores in dies, Domino coadjuvante percipiat. Deus Amplitudinem Tuam incolumem servare dignetur, gratiæq; suæ donis magis augeat. Romæ die 18. Novembr: M. DC. XXVIII.

Amplit: T. Perillustr: ac Reverendissimæ,

uti Fr: studiosiss:

R. Car: Ubaldinus.

Francisc: Paulucius S. Congr: Secret:

Ut itaq;

Ut itaq; præmissa Synodi Constitutiones & Decreta, ad notitiam omnium, quorum interest, deveniant, ea typis imprimi atq; publicari mandavimus, prout per præsentes publicamus: Hortantes omnes & singulos, non solùm Primatiali & Metropolitana nostra, sed etiam Sanctæ Sedis Apostolicæ, à qua approbatæ sunt, authoritate, ut ea & prompto animo suscipiant, & inviolabiliter observent. Erit verò officij & muneris nostri, Illustrissimi & Reverendissimi Domini, ea quæ communi consilio & consensu, ad normam Sacrorum Canonum constituta, ac à Sede Apostolica recognita, & confirmata sunt, lubentibus animis accipere, atque pro Pastorali Officio sedulo curare, ut debitæ executioni mandentur, & in Diœcesibus nostris diligenter observentur, ad Dei imprimis honorem, Religionis Catholicæ incrementum, & Ecclesiarum commodum. Ad quod exequendum, Deus ipse nobis omnibus vires tribuat, & Illustrissimas Dominationes Vestras, Ecclesiæ suæ Sanctæ, & Reipublicæ, servet quàm diutissimè incolumes. Lovicij, die XI. Novembr. Anno D. M.D.C.XXIX.

ACTA

A C T A
&
Constitutiones Synodi,
GNESNENSIS
PROVINCIÆ.

Annô Domini, Millesimo, Sexcentesimo, Vigesimo Octavo, Die 22. Mensis Maij inchoatæ, & ad diem 26. ejusdem Mensis continuatæ.



D laudem & gloriam Omnipotentis Dei, Ecclesiæ, & Religionis Catholicæ incrementum & propagationem, Synodus Provincialis Gnesnensis, in Ecclesia Parochiali Petricovień: Missa de S. Spiritu, Orationibus juxta ritum & præscriptum Pontificalis Romani præmissis, habita: Præsidente Illustriss: & Reverendiss: Domino, D. JOANNE WEZYK, Dei & Apostolicæ Sedis Gratiâ, Archiepiscopo Gnesneń: Legato Nato, Regni Poloniæ Primate, primoq; Principe. Præsentibus autem Illustrissimis & Reverendiss: Dominis Comprovincialibus Episcopis, ANDREA à Lipe LIPSKI, Vladislavień: & Pomeraniæ; MATHIA ŁUBINSKI Poznaniensi, STANISLAO ŁUBINSKI Plocensi, OTTHONE SCHENKING Vendensi: ac

Reverendis & Religiosis Dominis, Melchiore Stephanide, J. U. Doctore, Canonico Leopoliensi, Scholasticoq; Zamoscensi, pro Illustriss. D. JOANNE ANDREA PROCHNICKI, Archiepiscopo Leopoliensi, Erasmo Kretkowski Canonico, Vicario in Spiritualibus, & Officiali Generali Cracoviensi, pro Illustriss: D. MARTINO SZYSZKOWSKI Crac: GEORGIO TYSKIEWICZ, Episcopo Metonensi, Suffraganeo & Custode Vilnensi, pro Illustriss: D. EUSTACHIO WOLOWICZ Vilnensi. Petro Uszyński Custode Luceoriensi, pro Illustriss: D. ACHACIO GROCHOWSKI Luceoriensi. Mathæo Babinowski Canonico Mednicensi, pro Illustrissimo D. ABRACHAMO WOYNA, Samogitiæ. Jacobo Sliwski, Archidiacono Premisliensi, pro Illustriss: D. ADAMO NOWODWORSKI Premisliensi. Valentino Szczawiński, Canonico Culmensi, & Officiale Culmensi pro Illustriss: D. JACOBO ZADZIK Culmensi, Regnique Vicecancellario. Abrahamo Sladkowski Episcopo Citrensi, Suffraganeo, Canonico & Officiali Generali Chelmensi, pro Illustriss: D. REMIGIO KONIECPOLSKI Chelmensi. Fratre Martino Jaworski, Priore Monasterii S. Crucis, pro Illustriss: D. BOGUSLAO BOXA RADOSZOWSKI, Kijoviensi: F. Leonardo Starczewski, Ordinis Minorum de Observantia, pro Reverendiss: D. Gabriele Fredro Bachoviensi, Nunciis & Procuratoribus. Necnon Ecclesiarum Metropolitanarum & Cathedralium Procuratoribus & Mandatariis: videlicet, Andrea Szuldrski Proposito, & Simone Kolucki, Canonico,

pro Ca-

pro Capitulo Gneſnenſi. Melchiore Stephanide J.U.D. Canonico Leopolienſi, Scholaſticoq; Zamoſcenſi, pro Capitulo Leopolienſi. Joanne Foxio J.U.D. Archidiacono Cracovienſi, & Thoma Oborſki, Epiſcopo Laodicenſi, Suffraganeo Canonicoq; Crac: pro Capitulo Crac: Luca Bratkowſki, & Sebaſtiano Grotkowſki Canonicis Vladislavień: pro Capitulo Vladislavienſi, Georgio Tyſzkiewicz Epiſcopo Metonenſi, Suffraganeo Cuſtodeq; Vilnenſi, pro Capitulo Vilnenſi. Joanne Baykowſki Epiſcopo Ennenſi, Suffraganeo Poznanienſi, Archidiaconoq; Sremenſi; & Stanislao Wydzierzowſki, Cuſtode Poznanienſi, pro Capitulo Poznanienſi. Gabriele Wladyslawſki Scholaſtico Lancicienſi, Canonicoque Plocenſi; & Franciſco Zaierſki Canonico Plocenſi, Suffraganeoque Luceorienſi, pro Capitulo Plocenſi. Petro Uſzyńſki Cuſtode Luceorienſi, pro Capitulo Luceorienſi. Jacobo Sliwſki J.U.D. Archidiacono Premyslienſi, pro Capitulo Premyslienſi. Mathæo Babinowſki Canonico Mednicenſi, pro Capitulo Samogitienſi. Valentino Szczawińſki Canonico Culmenſi, pro Capitulo Culmenſi. Abrachamo Sladkowſki, Canonico & Suffraganeo Chełmenſi, pro Capitulo Chełmenſi. Reverendis etiam DD. Andrea Gembicki, Tremeſnenſi, confirmato Suffraganeo Gneſnenſi; Joanne Madaleńſki, Landenſi, Gaſparo à Kozielſko Kozielſki, Wągrovienſi; Stanislao Droiowſki Scyrzycenſi, Adamo Trebnicz Olivenſi, Leonardo Rębowſki Peplinenſi, Andrea Chlewſki Oberſcen: Stanislao Starczewſki Plocenſi, Abbatibus. Andrea Stremboſz

Mſtovienſi, Chryſoſtomo Gorazdowſki Czczovienſi, Samuele Sirakowſki Strzelnenſi, Præpoſitis. Necnon aliis cæterorum DD. Abbatum & Præpoſitorum, legitimis ex cauſis abſentium, Nunciis.

De Profeſſione Fidei, & doctrina Chriſtiana.

QVoniam ſine fide placere Deo impoſſibile eſt, Fidem Sanctam Catholicam Romanam, quam juxta Bullam PII IV. præſens Synodus, ex præſcripto S. Concilii Trid: & Pontificalis Romani, profeſſa eſt: curare debent omnes Ordinarii, Capitula, & Rectores quarumvis Eccleſiarum & Scholarum, ut tàm circa inſtitutiones & receptiones ad quævis beneficia & ſcholas, quàm conceſſionem facultatis prædicandi, tum & promovendi ad Magiſteria, Doctoratûs, vel quosvis gradus, in Univerſitatibus eandem profiteantur; neq; aliter promoti, poſſint in Eccleſiis & in Provincia, uti Privilegiis Doctoratûs, vel Magiſtrorum. Porrò quantum attinet doctrinam fidei Catholicæ, in qua Epiſcopi, & omnes Curati, tenentur erudire populum, curæ & fidei ſuæ commiſſum; quoniam in Regno hoc, & Magno Ducatu Lithvaniæ, major pars eſt Villarum, quàm Civitatum, vel Oppidorum, & in villis difficile ad executionem deduci poteſt, ut ruſtici, vel incolæ villarum, ad diſcendam Doctrinam Chriſtianam, pomeridiano tempore conveniant, ipſiq; Parochi, in villis præſertim, plerumque impediti eſſe poſſint, quominus eidem Doctrinæ Chriſtianæ docendæ, attendere valeant: Præcipitur omnibus Parochis, vel eorum Vicariis, ut quolibet die Dominico,

abſoluta

absoluta Concione, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum fidei, Præcepta Decalogi & Ecclesiæ, cum populo recitent, idq; omninò in omnibus Parochiis observetur. Præterea ut Parochi in villis constituti, Conciones ad populum habeant ex Catechismo Conc: Trident: ad Parochos, tempori accommodatas, ex materia Orationis Dominicæ, Salutationis Angelicæ, Symboli fidei, aut Decem præceptorum Decalogi, aliàs juxta præfationem dicti Catechismi Conc: Trid: ad Parochos. In quem finem curabitur recudi Catechismus idem Conc: Trident: in Polonicum idioma translatus. Porrò Parochi munus prædicandi verbi Dei, secundùm Episcopos, ad se pertinere sciant, juxta S. Conc: Trident: præscriptum, *Cap: 4. Sess: 24.* de Reformat.

De Sacramentis, & Sacramentorum administratione.

QVæ de Sacramentorum administratione prolixè & sparsim in Sacris Canonibus, Concilio Tridentino & Constitutionibus Provincialibus, Statuta & Decreta reperiuntur; ea omnia in breve compendium in Epistola Pastorali, bonæ mem: Illustriss: olim Cardinalis MACIEIOWSKI, ab Illustrissimis Cardinalibus Concilii Tridentini interpretibus recognita, redacta reperiuntur, tenoris sequentis, videlicet: Epistola Pastoralis ad Parochos, Provinciæ Gnesnensis.

BER-

BERNARDUS,

Miſeratione Divina, tit: S. Ioannis ante Portam Latinam, S. R. E. Presbyter Cardinalis, MACIEIOWSKI nuncupatus, Archiepiſcopus Gneſnenſis, Legatus Natus, Regni Poloniæ Primas, & Primus Princeps, &c:

Univerſis & ſingulis, Archipresbyteris, Plebanis, Commendariis, Vicariis, & aliis quibuſcunque, per & intra Provinciam noſtram Gneſnen: curam Animarum habentibus, Salutem in Domino.

CUm ut D. Gregorius, norma & exemplar Paſtorum, in ſuo Paſtorali ait, ſcientia ſcientiarum, atq; ars ſit artium, cura & regimen animarum; meritò Majores noſtri, nullam diligentiam in deſcribendo hoc munere ſufficere exiſtimantes, multa & præclara de eo, non modò privatim, pro Diœceſi ac Provincia quiſq; ſua, in peculiaribus Synodis, ſed & publicè, pro Eccleſia univerſa, in Generalibus Conciliis atq; Decretis Pontificum, ſingulis ferè ætatibus, noſtraque hac etiam ſtatuerunt. Quæ omnia cognita & perſpecta habere, ſicut utilitas, imò neceſſitas eſt maxima, ita ob multitudinem & varietatem eorundem, difficultas videtur propè infinita. Nos igitur, memores officii noſtri, quo non ſolùm pervigilare ipſi de concreditis nobis animabus, tanquam rationem reddituri ſtrictiſſimam, ſed & vobis, qui in partem ſollicitudinis hujus noſtræ vocati à Domino eſtis, opportuna tenemur miniſtrare ſubſidia; atq; idcirco providentes, ne vel defectu librorum ignorare neceſſaria, vel hinc inde ſparſa atque indigeſta indagare vos laborioſiùs oporteat: ex denſiſſima quaſi recentium juxta ac veterum Conſtitutionum ſylva, nonnulla, quæ maximè ad hoc propoſitum ſpectant, eligere, ponereque veluti ſub unum aſpectum, ac promptuarii cujuſdam inſtar, exhibere vobis induximus

duximus

duximus in animum, prout quidem ponimus, atq; exhibemus, per has nostras præsentes, ex quibus, quo pacto ordines, & beneficia recipere, fabricam & supellectilem curare Ecclesiæ, ministrare Sacramenta, verbo & exemplo pascere commissum vobis gregem, bona ac proventus Ecclesiasticos tueri & administrare debeatis: plurimaq; alia, quæ ad officium vestrum Pastorale pertinent, facilè, & in promptu sit vobis depromere. Vestrum itaq; erit legere hæc omnia diligenter, lectaque, meditata, & quasi in succum conversa, quàm studiosissimè exequi.

De ordinatione Clericorum.

QVia nihil æquè Ministrorum Ecclesiæ, vel mores corrumpit, vel otium atq; socordiam fovet, quàm si, quod est primum quasi Hierarchicæ ædificationis fundamentum, cui malè jacto quicquid superstruxerimus ruit, ad Ordines Sacros & properent ipsi, & facilè nulloq; aut parvo admittantur delectu; ideo quicunq; nuncupari deinceps Ecclesiastico ministerio volent, caveant inprimis, ne gratia cujusquam, vel metu, vivendivè licentiùs, aut sæcularis judicii fugiendi animo, vel quod sæpè accidit, temporalis commodi lucrivè intuitu, quæstum facientes pietatem, & quantum in eis est, ostentui divina habentes, eligant hoc sanctum vitæ, atq; Angelicis humeris formidandum officii genus: quin potiùs id sibi propositum habeant, ut piè & castè viventes in hoc seculo, Deo fidelem cultū, Ecclesiæ obsequium, proximorum saluti sedulam operam navent. Sicut enim ex bona vel mala radice, bonus aut malus fructus; ita ex intentione accedentium ad Ordines, laudabilis postmodum, aut prava eorundem conversatio prodit.

Sint deinde scientia & literatura instructi competente. Et ad Minores quidem Ordines admittendi, legere sciant, & scribere, Linguamq; Latinam saltem intelligant, & fidei rudimenta teneant: ad Majores autem promovendi, versati sint saltem mediocriter in literis, noverintq; recitare Horas Canonicas, & habeant Breviarium. Sciant item reddere rationem Sacramentorum omnium in genere, speciatim verò, pertinentium ad

naturam

naturam & exercitium Ordinis ejus, ad quem promoveri cu-piunt. Presbyterandi autem, idonei sint præterea, ad docendum populum ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, & ad administranda eidem Sacramenta.

Testimonium quoq; omnes habeant bonum, quemadmodum Sacro Tridentino Concilio præcipitur. *Sess: 23. de ref: c. 5.* Ad Minores quidem promovendi, à Parocho, & Magistro Scholæ, in qua educantur: ad Majores autem singulos evehendi, uno mense ante Ordinationem, Ordinarium loci, vel Officialem ejus generalem, aut si is etiam longè distet, foraneum quisq; suum adeant, expositurì illis nomen, cognomen, parentes, & patriam, in qua nati sunt, vel ubi domicilium habeant. Ordinarius verò, vel Officiales ejus, committent Parochis locorum, aut quibus magis expedire viderint, ut nominibus & desiderio illorum publicè in Ecclesia propositis, de natalibus, ætate, moribus, & vita ipsorum perquirant à fide dignis, literasque, inquisitionem hujusmodi continentes, ad Ordinarium, vel Archidiaconum ejus, tempestive transmittant, aut eisdem ordinandis, qui feria quarta, ordinationem proximè præcedente, præsentare se illis pro examine debebunt, deferendas tradant, clausas tamen.

Viderint autem isti, quibus, & quomodo testimonium perhibeant, quamque, si quod absit, inhabiles aut scandalosos commendent, præter gravissimum falsæ attestationis crimen quod incurrunt, impii sint etiam in Deum, atq; Ecclesiam, dum superioribus tales Ordinandos obtrudunt, in dedecus Clericalis Ordinis, ruinamq; & perniciem multorum.

Atq; ætas quidem, in assumendis ad primam tonsuram & tres Minores Ordines, septem; ad Acolytatum, duodecim completorum; ad Subdiaconatum, viginti duorum; ad Diaconatum, viginti trium, ad Presbyteratum, viginti quinque annorum requiritur: istos tamen sufficit inchoatos esse.

De vita autem & moribus, cùm inquisitio fiet, investigent etiam, perscribantq; Parochi, an promoti jam antea ad aliquos Ordines, si ulterioribus insigniri cupiunt, modestè ut ministros

Dei, vo-

Dei, vocatosq; in sortem ejus decet, vivant; num in ministerio Ecclesiæ, atq; exercendis susceptis Ordinibus sint assidui, reverentiam Presbyteris, & aliis superioribus exhibeant, Sacramenta Pœnitentiæ & Communionis, crebriùs quàm antea usurpent.

Et quoniam prohibet Apostolus, ne cuiquam manus citò imponamus; nemo se in posterum, à susceptione ultimi Minorum Ordinum gradus, ad Majorem, vel ab uno Majorum, ad alterum promovendum speret, qui in ante suscepto annum saltem unum in Ecclesia cui ascriptus est, non ministraverit; nisi fortè vel causa studiorum absit, vel Ordinarius loci, expedire aliter ob necessitatem, aut utilitatem Ecclesiæ existimaverit.

Nullus item Clericus secularis, ne cum dedecore Ordinis mendicare, vel sordidum aliquem quæstum exercere, sedibusvè incertis vagari cogatur, quamvis idoneus aliàs, admittatur ad Ordines sacros, nisi priùs, juxta Tridentinum Concilium *Seſſ: 21. de ref: c. 1.* legitimè constet, possidere eum beneficium pacificè, vel in aliqua Ecclesia receptiva provisionem habere certam, quæ sibi pro victu & amictu honesto sufficiat. Beneficium autem illud resignare non poterit, nisi facta mentione, quòd ad titulum ejus sit promotus, neq; ea resignatio admittetur, nisi constito, quòd possit aliundè commodè vivere. Ecclesiam etiam in qua provisus erat, inconsulto Ordinario, vel Officio ejus, non dimittet, aliâs interdictum sibi esse propterea exercitio Ordinum sciat. Similiter, si quispiam intuitu patrimonii sui ordinatus fuerit, alienari patrimonium illud, extinguivè vel remitti nullatenus poterit, sine Ordinarii, aut Officii ejus licentia, donec sit promotus, vel beneficium aliquod sufficiens assequatur, vel habeat aliâs, unde vivat.

Caveant autem, tam Ordinandi, quàm Parochi, & alii quicunque, assignantes illis provisiones in suis Ecclesiis, ne, quod sæpè faciunt, fictis, atq; ementitis pro tempore provisionibus, Ordinariis, vel Archidiaconis illorum, conentur imponere; aliâs scienter & in fraudem hoc modo provisi, suspensi sint ipso facto ab executione susceptorum Ordinum, speq; & facultate omni, aspirandi ad superiores careant: providentes autem, pœnam excommunicationis incurrent.

Porrò alienæ Diœcesis Clerici, nisi vel versati fuerint in familiaritate Episcopi integro triennio, vel domicilium firmum, à decem saltem annis, sine voluntate redeundi ad locum originis, in Diœcesi ejus habuerint, vel aliàs domicilium contraxerint, juxta juris dispositionem, ordinari ab illo non poterunt, absq; dimissoriis Ordinariorum suorum literis, in quibus, præter facultatem suscipiendi Ordines ab alieno Episcopo, causæ etiam concessionis hujusmodi, exprimantur, examinatosque illos, de natalibus, ætate, scientia, moribus, ac probatos esse, & beneficium, aut patrimonium, provisionemvè in receptiva aliqua Ecclesia habere, appareat.

Noverint deniq; universi, non admittendos se esse ad Ordines sacros, citra obtentam legitimè, atq; exhibitam Ordinariis, vel Archidiaconis eorum dispensationem, aut nisi aliàs idonei & habiles reddantur illegitimi, Hæreticis parentibus non conversis postea nati, aut ipsi quandoque in hæresim lapsi, Neophiti, Bigami, Irregulares, Suspensi, Interdicti, Excommunicati majori excommunicatione, Minores natu, non Confirmati, rudes atq; ignari, criminosi, & solemniter pœnitentes, homicidæ, adulteri, perjuri, usurarii manifesti, gulæ & ebrietati dediti, infames, obligati ratiociniis, servi, vitiati corpore, insigniter deformes, peregrini & ignoti, hermaphroditæ, amentes, caduco morbo laborantes, energumeni, & alii id genus, quibuscunque Canonicis impedimentis obnoxii.

De modo acceptandi beneficia Ecclesiastica.

CUm ut plurimùm ascensui descensus respondeat, quiq; non per ostium, nec per gradus, sed aliunde, & peccati dæmonisq; ministerio evehuntur, ad templi pinnaculum sæpè impellente eodem, præcipites ad infera ruant: nemo, quod plerique prava & inveterata consvetudine faciunt, resignanda ab aliis beneficia, priusquam revera resignentur, etiam sub clausula, resignaturus est, impetret: Omnes enim præsentationes & collationes hujusmodi, contrariæ sunt juri, ac proinde irritæ & nullæ.

Nullus item præsentandus, pacisci cum Patronis, aut transigere quovis

quovis modo audeat, de alienandis hoc nomine, vel non repetendis ab eis bonis, aut juribus Ecclesiæ, decimisvè manipularibus, in pecuniarias convertendis, vel locandis, aut minuendo earundem pretio, sub pœnis, à jure in provisos simoniacè latis.

Sint verò Plebani, & alii Beneficiati omnes, instituti ab Ordinariis suis, aut Vicariis eorum generalibus; teneanturque eisdem, cùm requirent, & Visitatoribus illorum, ostendere literas institutionis suæ.

Si quis autem eò temeritatis processerit, ut Parochialem Ecclesiam, vel aliud quodcunq; curatum, aut sine cura beneficium, administrationemvè, vel detentionem ejus, de manu laicali sine institutione, commendationemvè Canonica recipere, aut recepta tenere, sub quovis colore & prætextu audeat; præterquam, quòd jure & auctoritate administrandi in eis Sacramenta carebit, fructusq; non faciet suos, & restituere tenebitur; ad beneficium quoq; illud, & aliud quodcunq; obtinendum reddetur inhabilis; sed & aliis, si quæ habet, Canonicè obtentis, privatus erit eo ipso: obedientesq; & præstantes subjectionem ullam occupatori vel detentori hujusmodi, siquidem universitas sit, interdicti; si persona singularis, excommunicationis sententiam incurrent.

Et quoniam benficium datur propter officium, quique ex Altari vivit, Altari servire debet: omnes instituti ad beneficia curata, vel aliâs quovis modo obligationem hujusmodi annexam habentia, tenentur infra annum post adeptam pacificam illorum possessionem, nisi legitimum impedimentum obstet, sub privatione eorundem, ipso jure, ad Sacerdotium promoveri; primamq; suam Missam infra sex ad summum Menses celebrare, sub pœnis in Constitutionibus Provincialibus expressis.

De fabrica Ecclesiæ.

INter multa, quæ curam & studium Sacerdotum decent, haud postremum est illud, ut Ecclesiam quisq; suam quasi sponsam excolat, & ornet, diligatq; decorem domus Dei, & locum habitationis gloriæ ejus. Nihil est enim, quod vel illos chariores

populo reddat, vel populum ipſum ad devotionem, & pietatem omnem moveat & excitet magis.

Primùm itaq; det operam Parochus, ut Eccleſia cui præeſt, tecta ſit, & clauſa probè, parietes habeat firmos, nec hiantes fiſſuris, feneſtras vitro clauſas, fornicemq; aut laquear decens.

Sacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum teneatur in tabernaculo competenti, ſuper Altare majus, ubi id commodè fieri poteſt, vel in alio loco conſpicuo & nobiliori totius Eccleſiæ ſito, ſeraq; munito, cujus clavis cautè à Parocho, vel Sacrorum cuſtode ſervetur. Recondatur autem in pixide argentea, deaurata, ſuppoſito eidem corporali, & renovetur octavo quolibet, aut quindecimo ad ſummum die, ſemperque ante illud lampas, vel cæreus ardeat, præſertim diebus feſtis, dum populus in Eccleſia congregatur. Quoties autem deferendum ad infirmos erit, particulæ aliquot in alio vaſculo argenteo relinquantur, propter ingredientes interim Eccleſiam, ne flectentes ante Sacrarium, cultumq; latriæ exercentes, errorē committant.

Olea quoque Sacra cum Chriſmate, in loco benè clauſo & decenti, extra tamen tabernaculum Sanctiſſimi Sacramenti, in quo nihil præter illud poni debet, inque terſis ac nitidis vaſculis; Infirmorum autem, etiam in ſeperato ab aliis collocentur: neq; ad Baptiſmum vel infirmos, niſi à ſuper pelliceatis Sacerdotibus, atq; cum lumine deferantur. Nova ſingulis annis, tempeſtivè, poſt diem Sanctum Cænæ Domini, per Clericos, non laicos, ex Eccleſia Cathedrali afferantur, ac modicè, ubi neceſſitas exiget, mundo & recenti oleo diluantur: vetera autem extra caſum neceſſitatis, ne adhibeantur à Parocho, ſed quotannis pariter in lapide, deſtinato ad hunc uſum, comburantur.

Fontem item Baptiſmalem, nitidè, atq; ſub clauſura teneat Eccleſiæ Rector, vaſq; fontis, ſæpiùs intra annum mundet, aquam ejuſdem, per pannum lineum mundum in ollam novam colando, qua refuſa in vas ſuum ſic mundatum, pannus ille comburatur, & olla confracta ſubterretur. Quando verò renovanda ſtatis temporibus erit aqua prior, quæ in vaſe fuerat, in ſacrarium projiciatur.

Reliquiæ

Reliquiæ si quæ sint approbatæ, in Ecclesia loco decenti, tuto, neq; humido serventur, quævè & quorum sint Sanctorum superscriptis eorum nominibus pateat: quin & Catalogi illarum describantur in tabellis, cum Antiphonis, versiculis, & Orationibus suorum Sanctorum, quæ juxta Altare, vel alium locum, ubi illæ repositæ fuerint, pro oraturis ante eas fidelibus, appendantur. Quoties autem venerandæ exponentur populo, non permittantur eas osculari aut tangere seculares, sed vasa duntaxat, sive thecas illarum. Si quæ verò incertæ sunt, & inscriptione carent, non ostendantur publicè, sed reverenter in sacrario teneantur. Novæ autem undecunq; allatæ, non recipiantur ad Ecclesiam sine recognitione & approbatione Ordinarii. Nulli item liceat accipere vel minimam illarum particulam, aut dare cuivis personæ, sine licentia ejusdem, sub pœna excommunicationis incurrenda ipso facto.

Imagines & signa nonnisi Sanctorum, eaq; decentia, ac quæ ore, affectu, habituq; corporis, religionis speciem præseferant, & ad pietatem animos intuentium provocent, in Templis & Altaribus collocentur: Imago autem Crucifixi, in medio cujusque Ecclesiæ statuatur.

Altaria sint munda, cooperianturq; umbellis, præsertim majus, aut telâ coloratâ ad arcendum pulverem: gradus item firmos, declives, & pro capacitate loci spaciosos, habeant.

Suggestus pro prædicando verbo Dei, loco eminenti atq; conspicuo, & quoad fieri potest, in medio Ecclesiæ, quò melius videre omnes Prædicator, videriq; ipse & audiri ab omnibus valeat, collocetur, tegaturq; laqueari ligneo, quò sensibiliùs per infera vox Concionatoris diffundatur.

Confessionalia etiam, tot in publico & aperto loco, remoto tamen ab Altari majori, extruantur, quot pro confitentium frequentia, & Confessariorum numero sufficiant.

Pavimentum Ecclesiæ stratum, sit, & æquale, scopeturque frequenter. Cùm autem fidelium corpora sub eo conduntur, coaptetur, & planetur denuò, profundeq; fodiantur, & claudantur optimè sepulchra, ne fæteant.

Vas cum aqua benedicta, pro aſperſione, in ingreſſu, & egreſſu fidelium, propè limen, intra tamen Eccleſiam ſtatuatur, quæ ſingulis diebus Dominicis renovata, vetus in ſacrarium, aut per Eccleſiam effundatur.

Trabes, frumenta, merces, resq; aliæ profanæ, etiam in ſcriniis, valiſis, vel doliis, non aſſerventur in Eccleſia, niſi fortè id fabricæ, belli, aut incendii neceſſitas poſtulet: qua ceſſante, curet ea ſtatim amoveri inde Parochus.

Extruatur etiam porticus ante oſtium Eccleſiæ, quæ exorciſaturo baptiſandos, vel introducturo puerperas Parocho, pauperibusq; petentibus eleemoſynam, pro receptaculo deſerviat.

Cæmeterium ſit ſeptum & clauſum, ne brutorum incurſionibus pateat, nullæq; ſint in eo immunditiæ, lignorumvè ſtruęs, aut cæmentorum acervi; ſed & frutices ac urticæ, ſi quæ excreverint ſuccidantur: arbores tamen, ob tuendam à circumvicinis incendiis Eccleſiam, ſini & plantari poterunt, dummodò luminibus templi propinquitate ſua non officiant.

Sit etiam oſſorium ſeperatum à parietibus Eccleſiæ, in quod oſſa mortuorum congerantur, feretrumq; pro deportandis ad ſepulturam cadaveribus.

Campanæ non appendantur in trabibus parieti Eccleſiæ adnixis, ſed ſublimes in campanili erigantur, ſintque benedictæ, & aliqua illarum quotidie, in ortu & occaſu ſolis, pro ſigno ſalutationis Angelicæ, pulſetur.

De ſupellectili ſacra.

HAbeantur etiam in qualibet Eccleſia, albi, rubri, viridis, violacei & nigri coloris, convenientia ſplendori, ac reditibus ejus, altarium, Sacerdotum, & Miniſtrantium illis, ornamenta; ut, antependia, pallia, caſulæ, dalmaticæ, ſtolæ, manipularia, cingula, mappæ, albæ, amictus, altaria, portatilia, cruces, patinæ, calices, vela pro eiſdem, corporalia cum burſis ſuis, pallæ, purificatoria, urceoli pro vino & aqua, pelviculæ pro lavandis ad altare manibus, manutergia, pulpita ſeu pulvinaria pro Miſſali, campanulæ, thurribula, navicellæ, candelabra cærei

ſuper-

superpellicea, vexilla, vasculum cum plumbo pro servandis hostiis, atque instrumenta ferrea, pro pinsendis & formandis eisdem. Quæ si ob tenuitatem proventuum Ecclesiæ non habebit unde provideat Parochus, recurrat ad opem fidelium, præsertim Patronorum, svadeatque ut quemadmodum cultum & nitorem domus quisque suæ amant, ita Ecclesiæ, in qua nati sunt, ex aqua & Spiritu S. doctrinaq; Christiana, & Sacramentorum participatione educantur, quæq; tandem functorum hac vita, & ipsorum; & charissimorum illis, futura est domus in æternum, debitam rationem habeant.

Habeantur item manuscripti, arte tamen & seorsim ligati libri, Baptisatorum, Confirmatorum, Contrahentium matrimonia, negligentium confiteri, vel communicare, tempore Paschali, Decretorum, Visitationis Excommunicationum fulminatarum, Anniversariorum pro defunctis, necnon matriculæ animarum omnium, quæ sunt in illa Parochia.

Universa autem hæc, tam sacra, quàm profana supellex, in vestiariis sive armariis benè clausis & mundis, sacrarioq; nec obscuro, nec humido, quàm ordinatissimè disposita, servetur, semelq; ad minus in anno, omnes sacræ vestes siccandæ in solem exponantur; lineæ autem sæpè, sed corporalia, nonnisi à Sacerdotibus, vel saltem Diaconis, intraq; sacrarium, & in destinatis ad hoc ipsum vasis, laventur.

Fiat etiam Inventarium totius supellectilis Ecclesiæ, quòd retineatur à Parocho, cum sigillis ejus atque vitricorum, aut aliorum probatorum hominum; alterum verò simile huic, ad Lociordinarium transmittatur.

Habeantur denique libri, unus à Rectore Ecclesiæ, alter à victricis, in quibus diligenter porrectiones sive eleemosinæ, pro fabrica & necessitatibus Ecclesiæ, fieri à fidelibus solitæ, dispensatioq; earundem, quæ cum consilio Parochi semper fiet, describantur; & juxta hos libros, rationem quotannis vitrici tenebuntur facere.

Munus

De residentia Parochum.

MUnus atque officium præsidentium Ecclesiis, maximè curatis, hoc exigit, ut agnoscant vultum pecoris sui, vocent oves singulas nominatim, prædicatione Verbi Dei, administratione Sacramentorum, & bonorum operum exemplo pascant; faciantq; alia quàm plurima, quæ præstari nisi ab assiduis & invigilantibus gregi suo, non possunt. Expedit proinde, ut quilibet Ecclesiam hujusmodi obtinens, resideat in ea personaliter, neq; ultra duos aut ad summum tres menses, sive continuos, sive interruptos, singulis annis, vel certe ex gravi tantùm causa, cognoscenda ab Ordinario, & cum licentia ejus in scriptis obtēta, provisoq; ne interim cura animarum negligatur, aut Ecclesia debitis fraudetur obsequiis, abesse præsumat; alioqui præter peccati mortalis reatum, quem incurret, fructus quoque pro ratha temporis absentiæ, non faciet suos, etiam non secuta alia declaratione, neque tutâ conscientiâ retinere eos poterit, sed in utilitatem ejusdem Ecclesiæ, vel eleemosynam pauperum convetti debebunt, Ordinarii arbitrio. Quin & gravioribus pænis, si quis hac in parte remissus & contumax fuerit, succumbet.

Inprimis autem caveant Parochi, ne tempore Adventus, Quadragesimæ, Nativitatis, & Resurrectionis Domini, Pentecostes item, ac solemnitatis Sacratissimi Corporis Christi, Patroniqùe, & Dedicationis Ecclesiæ suæ, absint, in quibus potissimum refici fideles, & gaudere Pastorum præsentia debent.

Sæviente etiam peste, cùm si quando aliâs, tunc maximè indigeant operâ illorum, non deserant populos suos, moneantque dum sani sunt, ut confiteantur, atque communicent tempestivè, qui si nihilominùs confiteri ad extremam usque necessitatem distulerint, per se vel alios idoneos Sacerdotes ex longinquo, per obices, in aperto aere, vel qua tandem tutiori ratione poterunt; imò cum periculo etiam vitæ, confessiones illorum excipiant, atque Sacramentum Baptismatis, tam parvulis, quàm adultis ad fidem conversis, ministrent. Nullique omnino hæc præcipua duo tam necessaria Sacramenta etiam eo tempore denegent.

De Vicariis.

SI qui autem, gratiam de non residendo apud Ecclesiam suam, aut plura curata, vel aliâs curatis incompatibilia beneficia, ex dispensatione Apostolica obtineant, adesseque propterea omnibus non possint: inprimis dispensationes hujusmodi teneantur quamprimùm Ordinario exhibere; deinde habeant Vicarios ritè Ordinatos, probos, honestos, diligentes, & quantùm fieri potest, eruditos, probatosque ab Ordinario, vel officio ejus generali, quibus debent assignare congruam fructuum portionem, vel condigna aliàs solvere salaria. Hoc tamen non obstante, ipsi etiam sæpè in persona visitent Ecclesias suas, juxta Constitutiones Provinciæ.

Sed & ubi ita numerosus est populus, ut ipsemet residens Rector, ministrandis Sacramentis, Divinoque cultui peragendo sufficere nequeat, adjungere sibi debet unum, aut plures, pro exigentia loci, & quantitate proventuum Ecclesiæ, similes Vicarios, non Regulares tamen, aut Apostatas, publicevè criminosos, quibus parem ac ipse habet etiam prædicandi, atque absolvendi Parochianos potestatem, non requisita, si remotiùs degat, approbatione Ordinarii sui, tribuere valeat; dummodò prædicti Vicarii à Decano rurali, congregationem tunc Parochorum celebrante, vel ab Officiali districtûs illius foraneo, idonei reperti atque approbati fuerint: in quo conscientias eorundem, Decani & Officialis, oneramus. Fiet autem & scribetur hæc approbatio gratis, semelque approbatus, pro idoneo semper habebitur, quamdiu Ecclesiæ illi ministrabit.

Nullus item Rectorum, in Vicarios hujusmodi, recipere audeat Sacerdotes forenses, sive peregrinos, & vagos alienæ Diœcesis, absque testimonialibus & dimissorialibus Ordinariorum suorum; vel si sint ejusdem Diœcesis, sine Prælati, Parochivè, cujus Ecclesiæ immediatè servierunt, litteris; sub pœna decem marcarum, exigenda per Instigatorem officii, ad delationem Decani Ruralis, piisque locis, arbitrio Ordinarii seu Officialium ejus, applicanda. Sed nec dicti Vicarii, postquam

ſe Eccleſiæ alicujus miniſterio adjunxerint, audeant ſub pœna eadem, invito, vel ante trimeſtre non monito Parocho, Eccleſiam illam deſerere; qui ſi ſe gravatos à Parocho ſenſerint, recurrant ad Ordinarium, vel Officium ejus, exponantque ſua gravamina.

De Scholaribus, & Scholarum Magiſtris.

QVia multùm refert, juventutem moribus & artibus optimis à teneris imbui: ſi apud Eccleſiam quamlibet Schola, Clericusque Baccalaureus, vel Magiſter artium, pro eo, ac loci poſtulabit dignitas; qui profeſſione fidei circa receptionem Scholæ, in manibus Parochi, vel Vicarii ejus, juxta Bullam PII IV. facta, pueros Parochianorum, pietate & doctrina excolat; ac inprimis curet, ut juniores quidem, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Articulos fidei, Decalogi & Eccleſiæ Præcepta; provectiores autem, reliqvum etiam Catechiſmum memoriter teneant, & quandoque publicè in Eccleſia recitent; modum item miniſtrandi operanti divina Presbytero, calleant, ſubindeque Grammaticam, & alias triviales artes, cum humanioribus literis, pro ætate & captu diſcentium, docere eos non negligat: libris tamen Melanchtonis, & aliorum Hæreticorum abſtineat, ſolumque approbatos, & in fide non ſuſpectos auctores interpretetur.

Provideat autem Parochus, ut tam dictus Rector Scholæ, quàm Cantor, & alii adoleſcentes, qui in Schola degunt, ſobriè, honeſtè, & quietè vivant. Solent enim quandoque, mala & diſſolutâ vitâ ſuâ perturbare alios, ſcandaloque eſſe etiam ingenuis pueris, qui dum Scholas frequentant, depravatos illorum mores intuentur, obſervant, imbibuntque facilè.

Omnes etiam iſti, ut miniſtros Eccleſiæ decet, Clericali habitu, vel conſveto ſaltem talari utantur, ſub pœna in Conſtitutionibus Provincialibus expreſſa.

Atque Rector quidem & Cantor, repugnante nec monito tempeſtivè Parocho, locum non immutent: alioquin tam ipſi, quàm qui eos recipit, ſine dimiſſoriis à Parocho litteris, pœnâ, illi de-

illi decem, isti quinque marcarum, mulctentur; liberum tamen erit ipsis, si graventur à Parocho, ac Ordinarium loci vel Officium ejus recurrere. Adolescentes quoque commigrare de una Schola in aliam, sine licentia & testimonio sui Rectoris, non audeant, & recipi à quoquam non possint. Vagabundi autem à Civitatibus & Oppidis abigantur.

De prædicatione Verbi Dei.

CUm ad retinendos in officio, atque informandos omni pietate homines, nihil in Ecclesia utilius & efficacius habeatur prædicatione Verbi Dei, quod est penetrabilius omni gladio ancipiti, pertingitque ad divisionem usque animæ & spiritus: Volumus, ut Parochi, & alii quicunque Ecclesiarum Rectores, quorum præcipua hæc est pars officii, per se, vel si ipsi legitimè impediti fuerint, per alios idoneos atque approbatos, ut supra, Sacerdotes, diebus saltem Dominicis, & festis solemnibus; in Adventu autem & Quadragesima, duabus præterea ad minimum feriis, erudiant pro Concionibus populum, deterreantque à vitiis, & ad virtutes cohortentur, ac præmia bonorum Cœlestia, cum æternis malorum suppliciis, sedulò inculcent.

Accommodent autem præcipuè se, & doctrinam suam ætati, ingenio, conditioni, studiis, & moribus audientium; omniaque omnibus efficiantur, ut omnes Christo lucrifaciant: atque aliis quidem, ut modò genitis infantibus lac, aliis ut provectioribus jam vel adultis in Christo, solidiores cibos subministrent: Omnibus autem & singulis, ea præbeant doctrinæ alimenta, quæ spiritum augeant, promoveantque illos in virum perfectum.

Sed & temporis ipsius rationem habeant, illiq; potissimùm sermonem conforment, ut tempore (verbi gratia) Carnisprivii, ab ebrietatibus & impudicitiis populum avertant: in Quadragesima autem, ad Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta præparent; & sic in reliquis anni partibus, pro, vel occasione ab Evangelio, Epistolâ, Lectione, festo ritibusvè ac cerimoniis Ecclesiæ data, præcipua doctrinæ Christianæ capita explicent, vel pro-

vel propenſione tunc majori hominum ad aliqua vitia, eadem perſtringant, & ad contrarias virtutes hortentur. Ad quorum utrumq; Catechiſmus Concilii Tridentini, cum Poſtilis Wuieci & Skargæ, abundè ſuppeditabunt illis, non ſolùm materiam ſed & tractandæ ejus modum.

Ante omnia verò, rudimenta fidei, & neceſſaria omnibus ad ſalutem doceant; Orationem Dominicam, Symbolum Apoſtolorum, Decalogum, Sacramentorum vim, naturam, & uſum; necnon Præcepta Eccleſiæ, cùm in matutinis Concionibus, pro opportunitate exhibita, tum in pomeridiana Catechiſmi explicatione, juxta Synodale decretum explanent, atque ad hos quaſi fontes, omnem ſuam doctrinam reducant.

Et de rebus quidem controverſis in fide, apud rudem & Catholicam plebem, diſputationes longas non inſtituant; ſi quæ tamen occaſio, aut neceſſitas poſtulet, modeſtè id ſineque convitio, & cum ea quæ miniſtros Dei decet charitate, præſtent: ut non tam perſequi adverſarios, quàm errantes ad viam veritatis reducere, cupere videantur; dogmataq; duntaxat Eccleſiæ Sacrâ Scripturâ, probatis traditionibus, auctoritate Conciliorum, & SS. Patrum doctrinâ, confirment; recenſendis autem argumentis Hæreticorum ſuperſedeant, niſi illa & ipſi reſolvere ſolidè, & qui eos audiunt, vim & energiam ſolutionum percipere, valeant.

Scholaſtica etiam curioſa, quæque ad ædificationem non faciunt, coram idiotis non tractent. Sæpè enim accidit, ut quia auditores, neq; dicta ob ſubtilitatem intelligunt, neq; ob impenſam ſubtilibus totam concionem, audiunt convenientia captui ſuo, vacui, inaneſque fructuum verbi Dei recedant, impleaturq; illud Propheticum: *Parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.*

Hiſtorias nonniſi probatas uſurpent: nugis autem, fabellis, leporibus, & facetè dictis, pigmentis item ac ceruſſis verborum, quæ Evangelii gravitatem dehoneſtant potiùs quàm ornant, abſtineant omninò; neq; tam ſtudeant demulcere audientium aures, quàm frangere animos, & deterrere, à vitiis, quæ

nunc communiter genus humanum infestant; ut sunt, inimicitiæ capitales, publicæ injuriæ, virginum & viduarum raptus, adulteria, usuræ, furta, rapinæ, perjuria, calumniæ, judiciorum iniquitas, legum & magistratuum contemptus, subditorum oppressio, violatio Festorum, imprecationes, blasphæmiæ, maleficia, præstigia, ebrietates impudentes, luxus incorrigibilis, perpetuum otium. Contra verò, hortari atq; inflammare eosdem ad pietatem in Deum, observantiam in superiores, benignitatē in subditos, honorem erga pares, amorem in omnes, patientiam, humilitatem, castimoniam, sobrietatem, & alias id genus virtutes.

Quoties autem in scelera, præsertim familiaria auditoribus, invehentur acriùs; non hominum, sed peccatorum odio id faciant, neminemq; expresse, aut per circumlocutionem notent, & maximè constitutis in aliqua dignitate, caveant ne acerbè, aut nominatim objurgent, sed leviter atq; in genere tantùm admoneant.

Quodsi fortè ij qui prædicaturi sunt, neque ingenio, neq; memoria valeant, Homiliam aliquam de tempore, ex dictis Postilis, loco & auditoribus, à se accomodatam recitent, potiùs ex scripto quàm nullo ordine atq; judicio, quicquid eis in mentem & os venerit, proloquantur temerè.

Provideant denique, ne dum concio habebitur, deambulationes per Ecclesiam, aut confabulationes fiant: sed nec sacrum tunc Missæ officium, quod turbare audientes posset, celebretur, infantesvè ad Baptismum, vel Eucharistia cum Oleo sacro ad infirmos deferatur, nisi periculum mortis instet.

De promulgationibus à Concionatore faciendis.

Finito sermone, dies festos, jejunia, indulgentias, Censuras Ecclesiasticas, & alia his similia denuncient Parochi, commendentque publicas & privatas necessitates orationibus fidelium, ac denique Confessionem cum eis generalem recitent.

Famam autem seu rumores gestorum alicubi, præterquàm ob gra-

ob gratias Deo peragendas, aut implorandam ejus opem, non promulgent; neque res perditas publicent, nisi id necessitas, vel magna paupertas damnum passi, postulet.

Festa porrò servanda in hac Provincia, denunciandaque populo, præter Dominicos dies, sunt hæc: Nativitatis Domini, Circumcisionis, Epiphaniæ, Resurrectionis, Ascensionis, & Pentecostes, cum duobus diebus immediatè sequentibus; Corporis Christi, Inventionis & Exaltationis Sanctæ Crucis, Conceptionis, Nativitatis, Annunciationis, Visitationis, Purificationis, & Assumptionis Beatæ MARIÆ Virginis, Michaelis Archangeli, Nativitatis Joannis Baptistæ; Apostolorum, Matthiæ, Philippi & Jacobi, Petri & Pauli, Jacobi Majoris, Bartholomæi, Matthæi Simonis, & Judæ, Andreæ, Thomæ, & Joannis Evangelistæ, Innocentum, Stephani, Laurentii, Adalberti, Stanislai in Majo, Martini, Nicolai, Annæ, Mariæ Magdalenæ Catharinæ, Agnetis, Margarethæ, Omnium Sanctorum, nec non proprii, loci aut Parochiæ cujusque Patroni: quæ omnia & singula sanctificanda sunt à Clero & populo, cultu & veneratione solemni. Si quæ tamen illorum, ex propriis diebus transferri contingat in alios, tunc à Clero tantùm celebrabuntur in Ecclesiis: Labores autem & operas populi minimè impedient: solemnitatibus duntaxat, Annuntiationis B. V. MARIÆ, Sanctorumque Adalberti & Stanislai in Majo, exceptis, quæ etiam translata celebrare populus tenebitur. Dies autem Transfigurationis Domini, Præsentationis Mariæ, & ad Nives Divisionis Apostolorum, Vinculorum Petri, Conversionis Pauli, SS. Marci & Lucæ Evangelistarum, Gregorii, Ambrosii, Augustini, Hieronymi, Doctorum Ecclesiæ, nec non SS. Casimiri, Elizabeth & Hedvigis: Clerus quidem venerabitur duplici officio, sed populus auditâ Missâ, laboribus & operis licitè vacabit.

Instante etiam Sancti aut Sanctæ alicujus festo, cujus corpus, membra, vel aliæ insignes reliquiæ habentur in aliqua Ecclesia, moneatur tempestivè populus, & ad celebrandam illarum memoriam invitetur; quodsi multorum simul, vel innominatæ

minatæ fuerint, una ſaltem quotannis dies, obeundæ ibidem ſolemniter à Parocho commemorationi illarum, aſſignetur. Anniverſaria quoque Dedicationis Eccleſiæ dies, promulgetur in Dominica præcedente.

Inculcandum eſt autem ſæpiùs à Parochis, non propterea dies feſtos inſtitutos eſſe, ut commeſſationibus, ebrietatibus, impudicitiis, choreis, luſibusvè fideles indulgeant, temporeq; ſaluti, & placando Divino numini deſtinato, ad majorem ipſius offenſam, atque animarum ſuarum perniciem abutantur; ſed ut, cùm tot aliis diebus curæ temporalium vacuerint, hiſce ſaltem diligentiùs ſpiritualibus invigilent, ſeque ipſos colligant; recogitent beneficia Dei, & gratias pro illis agant, ſacrificio Miſſæ & aliis Divinis officiis inter ſint, Concionem audiant, Sacramenta curandis animæ vulneribus adhibeant, liberiusque pietatis & charitatis Chriſtianæ operibus vacent.

Fora item, mercatus, & nundinas, ſicubi Dominicis aut Feſtis diebus peraguntur, ſvadeant transferri in alios Parochi, ne hæc quoque occaſio populum à Divinis retrahat.

Sed & jejunia, obligantia ex præcepto vel conſvetudine denuncient ſedulò. Magnus enim in ea re eſt abuſus, multiq; non jejunant, quando jejunandi impoſita eſt eis neceſſitas, & è contra, jejunant cùm eos jejunare nullum Eccleſiaſticum præceptum, aut conſvetudo publicè recepta cogit; ſed privata tantùm devotio ſvadet. Jejunandum eſt igitur ex præcepto: in Quadrageſima, Quatuor temporibus, Vigiliis Nativitatis Domini, Aſſumptionis B. V. Mariæ, & omnium Apoſtolorum, præter Vigilias Joannis Evangeliſtæ, Sanctorumque Philippi & Jacobi; Nam B. Matthiæ etiamſi in dies Carnisprivii inciderit jejunanda omninò, neq; trasferenda eſt in alium diem. In Vigiliis item Joannis Baptiſtæ, Laurentii, & Omnium Sanctorum, feriisq; ſextis toto anno, præterquam cùm in eas Nativitas Domini inciderit. Ex conſvetudine autem antiqua Provinciæ, etiam in diebus, reliqua Beatiſſimæ Virginis Feſta, excepto Præſentationis & ad Nives, antecedentibus. Cætera jejunia, ſi quæ præterea colunt & obſervant aliqui, libera ſunt, placitoq; & devotioni cujuſcunq; relinquuntur. In-

Indulgentiæ à Sede Apostolica concessæ, ex Tridentini Concilii decreto, ab Ordinariis locorum, adhibitis duobus de Capitulo, sunt populis publicandæ. Cùm autem earum publicationes aliis commiserit Episcopus, ij promulgando salutares illarum fructus, ac vim planè Cælestem, edifierant, doceantq; populum, quo pacto implendis pietatis & devotionis Christianæ quæ tenore Indulgentiarum continentur, officiis, disponere se ad eas consequendas debeat. Ad quæstum tamen & eleemosynas, scandalosè à fidelibus exigendas, Divinum hunc Thesaurũ ne exponant, nullasq; inposterum Indulgentias, amplissimas & antiquissimas licet, pro quibus consequendis porrigendæ sunt manus adiutrices, usurpent, publicentvè. Revocatæ enim atq; irritatæ sunt omnes hujusmodi, nullamq; jam amplius vim & efficaciam habent.

Nova item miracula, ad templa, imagines, aut reliquias quorumcunq; Sanctorum, nisi sint recognita, atq; adhibito Theologorum consilio, approbata ab Ordinariis, ne publicent; votaq; oblata à fidelibus hoc nomine non recipiant, nec appendant, nisi facto, & circumstantiis ejus benè examinatis, & testimonio fide dignorum probatis, quæ in peculiari libro diligenter describant.

Bullam præterea Cœnæ Domini, bis ad minus in anno, primis scilicet Dominicis Adventus, & Quadragesimæ, promulgent; zeloque & diligentia majori qua poterunt, explicent cùm omnia alia puncta & anathemata ejus, servientia huic Provinciæ, tum illa præcipuè quæ contra violantes jurisdictionem Ecclesiasticam, decimasq; & bona spiritualium rapientes, fulminant. Efficaciam quoque & vim censurarum Ecclesiæ, cùm hac ipsa occasione, tum aliâs, ut si fortè quispiam incurrisse eas denunciandus sit publicè, diligenter populo inculcent, doceantque quàm meritò vitari & metui ab omnibus debeant.

De administratione Sacramentorum.

ET quoniam is, qui curam animarum gerit, præter ea quæ diximus, ad Sacramentorum etiam ministrationem paratus semper

semper esse debet. Cogitent inprimis, ac perpendant secum diligenter Parochi, quàm ab omni labe peccati mortalis mundos ac liberos illos esse oporteat, ne dum opem saluti aliorum ferunt, sacra indignè tractando, æternam sibi ipsis asciscant perniciem.

Ut autem hæc Divina mysteria venerentur fideles impensiùs, majoriq; illorum exardescant desiderio, non negligant Parochi, cùm aliâs sæpè, tum præsertim in administratione illorum, præstantiam atque dignitatem eorundem explicare.

Ministrent verô ea, ritu & cærimoniis, in Libro Agendorum præscriptis, superpelliceo & stola induti, materiam & formam debitas, adhibeant cum intentione.

Nullum item precium vel mercedem, ab ijs quibus ministrantur, exigere quovis modo audeant. Consvetudo tamen legitima, pia fidelium largitione introducta, aliquid Ministro ad ejus sustentationem, post ministratum liberè Sacramentum præstandi, erit observanda.

Præcipuè verò, atque ante omnia, sub interminatione Divini Judicij, pœnisq; gravissimis infligendis Lociordinariorum arbitrio, caveant; ne vel sine Baptismo infantes, vel infirmos sine Pœnitentiæ, Eucharistiæ, Extremævè Unctionis Sacramento, culpa aut negligentia illorum, contingat decedere.

De Baptismo.

ET ad Baptismum quidem quod attinet, qui est quasi janua vitæ Christianæ, neminem extra Ecclesiam in privatis ædibus, nisi ex necessitate, Regumvè, aut Principum filios, baptisent.

Erudiant nihilominùs plebem, ac præsertim fæminas, quæ obstetricantur, quomodo baptisare debeant infantem recens natum, in necessitatis casu; si nimirum adeò imbecilium videant, ut neque deferri ad Ecclesiam, neque dum Sacerdos veniat, supervivere posse videatur; nempè, ut fundendo ter aquam super caput ejus, proferant hæc verba: *Ego Te Baptiso, In Nomine PATRIS, & FILII, & SPIRITUS SANCTI.* Ea tamen cautela adhibita, ut præsente Clerico non baptiset laicus,

 neque

neque viro, mulier, nisi fortè vir formam Baptismi ignoret; neque Catholico, Hereticus, aut Christiano, Judæus vel Gentilis, qui etiam hoc casu baptisare possunt, modò aquam & verba debitè adhibeant, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia. Quod si sic baptisatus evadat periculum, deferendus est postea ad Ecclesiam, ut solemnes circa eum Baptismi cærimoniæ, prætermissis tamen exorcismis suppleantur.

Si verò dubitetur, an vel hujusmodi, vel expositus infans, aut etiam adultus baptisari cupiens, baptisatus sit antea, & debitè, baptisandusq; propterea, diu atque multùm re examinata videatur Parocho; adhibeatur hæc forma: *Si non es Baptisatus, Ego Te Baptiso, In Nomine PATRIS, & FILII, &c.*

Patrinos, Matrinasvè, ad levandum de sacro fonte baptisatum, uno, aut una, vel ad summum uno & una, plures non admittant Parochi; doceantq; cognationem spiritualem, impedientem & dirimentem matrimonia contrahi hoc nomine, inter suscipientes ex Baptismo, ac Baptisatum ipsum, & inter illius Patrem & Matrem, necnon inter Baptisantem & Baptisatum, Baptisatiq; Patrem ac Matrem tantùm; quemadmodum Sacro Tridentino Concilio cavetur, *Sess: 24. de ref: c. 2.* Quorum omnium nomina & cognomina, ipsemet Sacerdos manu sua describat, in Libro Baptisatorum, in hunc modum: Anno 1607. die 15. Octob: Ego N. Plebanus, aut Vicarius Ecclesiæ Parochialis N. baptisavi N. Filium & N. conjugum legitimorum, Patrini fuerunt N. & N.

Sed & Infideles, Hæreticos, Schismaticos, Excommunicatos, Monachos, à munere Patrinorum arceant.

De Confirmatione.

CONfirmationis etiam Sacramentorum, quod nos armat & induit virtute ex alto, quoties ab Ordinario loci, vel alio Episcopo de ejus licentia ministrandum erit, instruant Rectores tempestivè populum, de vi & effectibus ejus; moneantque, ut semel confirmati non reiterent illud sacrilegè: Confirmandi autem, & corpora quasi templa Spiritui Sancto peculiariter dedicanda

dicanda præparent, & animos expurgent per confessionem, si præsertim conscientia noxæ alicujus mortalis teneantur, aut saltem firmum confitendi quantociùs propositum habeant: linteola item munda, pro alligando sibi in frontibus Charismate, Patrinumque vel Matrinam, prout ipsi mares vel fæminæ fuerint, confirmatos jam, non Patrem tamen aut Matrem, nec Vitricum, vel Novercam, Maritumvè aut uxorem, suos provideant; qui plures duobus, vel tribus ad summum, una die tenere non poterunt, & quos tenuerint, instruere debent ad omnem pietatem, ac fidei rudimenta docere, utq; piè, reverenter, & jejuni, excepta necessitate, ad Sacramentum hoc salutare accedant, neq; nisi finito Confirmationis omnium actu, & benedictione Episcopali accepta, detersoq; à Sacerdotibus, si præsertim remotiùs habitent, Chrismate, de templo discedant. Meminerint deniq; cognationem spiritualem in hoc Sacramento contrahi, inter Confirmantem & Confirmatum, illiusq; Patrem & Matrem, ac tenentem. Quorum omnium nomina & cognomina cum expressione temporis, curet annotari Parochus in libro Confirmatorum in hunc modum: Anno, Mense, die, &c: Confirmatus vel confirmata est à Reverendiss: Dño N, Episcopo N, filius vel filia N. & N. Patrinus vel Matrina fuit, N.

De Pœnitentia.

QVo frequentiùs in scopulos vitiorum impingunt fideles, eò ut sæpius Sacramentum Pœnitentiæ, quæ est secunda post naufragium tabula, frequentent, admoneant Parochi; semel verò ad minùs per annum, præsertim in Paschate, confiteri eosdem etiam compellant, non confessos, notent & deferant Ordinariis vel Visitatoribus eorum: ac demum si moniti parere noluerint, vivos aditu Ecclesiæ, mortuos, Ecclesiastica sepultura, arceant.

Hortandi sunt præterea fideles, ac præsertim illi, qui rariùs confitentur, ne confessionem ad extremam usque Quadragesimam, cùm maximè Sacerdotes obeundis functionibus Ecclesiasticis occupantur, differant; sed primam quidem, tempestivè

ante Dominicam Lætare, ſecundam verò, de, vel poſt commiſſis, vel revocatis in memoriam delictis, paulò ante Sacram Communionem faciant.

Omnes autem inprimis atque ſuper omnia doceantur, ut illuſtratis & excuſſis diligenter conſcientiarum ſuarum latebris, integrè, & apertè, nihilque tacendo, aut palliando involucris verborum, effundant corda & Animas ſuas, coram Miniſtro DEI, internumq; animi dolorem, ſaltem attritionis quem vocant, cum firmo propoſito non peccandi ampliùs, habere procurent; aliâs ſacrilegam, irritam, & nullam, ac proinde iterandam confeſſionem illorum eſſe.

His & aliis ſimilibus, publicè & frequenter populo expoſitis, Presbyteri quoque, non in domo, nec in Sacriſtia, locove aliquo clauſo vel obſcuro, ſed in Eccleſia duntaxat, inque confeſſionali ad id deputato confitentes ſibi, præſertim fœminas, neque catervatim, aut plures ſimul, etiam pueros, ſed ſingulos ſeparatim audiant, ſub pœna arbitrio Ordinarii irroganda.

Accedentes ad confeſſionem, arma ſi quæ habent, ob reverentiam Sacramenti, ſubmiſſiq; animi ſignificationem deponere, rudiores autem aperire caput, ad pedesque Sacerdotis, demiſſo in terram vultu ac manibus ſupplicem in modum conjunctis, genu flexos ſe abijcere, & munire ſigno Crucis doceant; deinde data eis benedictione hunc in modum: *Dominus ſit in corde tuo, & in labiis tuis, ut dignè & competenter confitearis peccata tua. In Nomine Patris, & Filij, & Spiritus S.* examinent breviter, an ſciant neceſſaria ipſis ad ſalutem, perquirantq; de ſtatu, & conditione illorum, ſi ea ignorant. Item à quanto jam tempore, propriove Parocho, an integrè, neq; tacito ullo de induſtria peccato fuerint confeſſi, an Pœnitentiam injunctam tunc ſibi, impleverint; aut nunc diligenter examine diſcuſſerint conſcientiam; an Cenſuris Eccleſiaſticis innodati non ſint; actum demum recenſentes peccata ſua, patienter & attentè audiant, timidos confirment, vacillantes inſtruant, nec ſi enormia aut turpia peccata protulerint, ſignum ullum admirationis abominationisvè præſeferant; ſed ac ſi nihil prorſus audirent hujusmodi, ad finem usq; confeſſionis diſſimulent.

Quod

Quodsi pœnitentes, peccata ipsi sua, ob pudorem, vel simplicitatem recensere nequeant, non contenti Sacerdotes confessionem generalem recitare cum illis, interrogent etiam singillatim, de commissis, omissisq; contra Decalogum præcepta Ecclesiæ, & misericordiæ opera, de peccatis Capitalibus, clamantibus in Cœlum, & contra Spiritum Sanctum; adhibita ubi opus erit, peccatorum cogitationis, verbi, & operis, distinctione.

Potissimùm autem inquirant de illis, numeroq; & specie illorum, cum circumstantiis mutantibus speciem peccati, aut idem valde gravantibus, quæ vel promiscuè perpetrantur nunc ab hominbus, vel propria sunt statui & conditioni cujusq; pœnitentis. Caveant tamen, ne nimium scrupulosis atq; importunis percunctationibus, offendiculum præbeant infirmis, vel simplices doceant peccata, quæ ignoraverunt: nevè eliciat nomina personarum, cum quibus confitentes peccaverunt.

Finitis interrogationibus, proponant opportuna peccatis cujusq; remedia, arguantq; obsecrent, increpent, in omni patientia & doctrina; causas & occasiones peccatorum præscindere restitutionem si quam debent, famæ, damni, aut rerum, facere præcipiant; doloremq; inprimis pro peccatis, ac detestationem eorundem, propter offensam maximè Dei, cum firmo proposito non peccandi ampliùs, excitare in animis confitentium studeant, inculcando gravitatem, & turpitudinem peccati, ac consequentia illud damna.

In pœnitentiis autem, & satisfactionibus injungendis, non sint nimium mites, neque nimium severi, sed pro qualitate criminum, doloreq; ætate, sexu, statu, & conditione pœnitentium, pœnas culpis quàm maximè congruentes irrogent, ut peccatores à vitiis quidem arceantur, non deterreantur tamen à confessione.

Deniq; præmisso, *Misereatur tui, &c:* extensaq; super caput pœnitentis dextra manu, absolvant eum in hunc modum: *Dominus noster JESUS Christus, per suam piissimam misericordiam dignetur te absolvere, & ego auctoritate illius, absolvo te, à vinculo excommu-*

communicationis, suspensionis; & interdicti, si quæ incurristi, quantum possum & indiges, deinde, *absolvo te ab omnibus peccatis tuis, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. Amen.* Formataq; super illum cruce, addant: *Passio Domini nostri JESV Christi, & merita Beatissimæ Virginis Mariæ, omniumq; Sanctorum, & quicquid boni feceris vel mali sustinueris, cedant tibi in remissionem peccatorum tuorum, in augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ. Amen.* Atque hæc præcise verba, nihil detrahendo, addendo, mutandove, adhibeant in absolvendo omnes, si qui verò diffidant memoriæ, descripta in tabella, & ante se posita, legant. In absolutione tamen laicorum, omittant semper verbum illud *suspensionis*: soli enim Clerici promoti ad Ordines, pœnam suspensionis incurrunt.

Caveant præterea, ne peccata audita in confessione, verbo, signo, aut alio quovis modo, directè, vel indirectè, extra illam prodant, sub pœna depositionis, carcerisq; perpetui, & excommunicationis sententia. Sed & in confessione ipsa vitent, ne dum confitentes graviora peccata narrabunt, suspirando, spuendo, signando se cruce, corrugando frontem, incitando sermonem, seque agitando, aut aliâs quomodolibet suspicionem, illorum circumstantibus iniiciant: imò si quem forté, ob reservatum casum, aut quia peccatum, vel occasionem ejus dimittere, satisfactionemve aut restitutionem præstare recuset, absolvendum non existimabunt; signo saltem Crucis, cum precatiuncula aliqua, propter circumstantes, admonitum prius ea de re, benedicant, & sic à se dimittant. Pœnitentias etiam tales non injungant, ex quibus alij in cognitionem confessorum criminum, devenire facilè possint.

Ne verò se & alios decipiant Parochi, absolventes à peccatis, à quibus revera, ob defectum jurisdictionis, non possunt absolvere: noverint benè Casus Sanctæ Sedi Apostolicæ reservatos, tam jure communi, quam Bullæ Cænæ Domini, aliisque Constitutionibus Pontificum, de quibus post alios optimè Navarrus: tunc & eos qui Ordinariæ potestati reservantur.

Vocati ad ægrotos Parochi, sine mora accurant, imò non vocati etiam, cùm primum de adversa valetudine illorum co-

gnove-

gnoverint, invisant: hortenturq; eos ad suscipienda Eucharistiæ Sacramenta.

Mulieres etiam gravidas admoneant, ut ob instans in partu periculum, confiteantur tempestivè, doceantq; eadem in confessione, ne se tunc, vel tempore menstrui, maritis commisceant.

Sed & morte mulctandis, ob publica crimina, exhibeant dignam Sacerdotibus Christi charitatem, munitosq; Sacramentis comitentur ad locum supplicii, & ad piè in Domino moriendum, disponant.

De Sacrosancta Eucharistia.

QVandoquidem panis ille vivus, qui de Cœlo descendit, propterea datus est nobis divinitùs, ut eo vescentes, non deficiamus in via, sed in fortitudine ejus ambulemus usq; ad montem Dei: exhortentur populum Rectores, ut ad mensam hanc Cœlestem, frequenter, aut saltem in Festis solemnioribus, accedant. Si qui autem tempore Paschali, à die videlicet palmarũ, usq; ad Dominicam in Albis, inclusivè, quo communicare omnes Ecclesiæ præcepto tenentur, facere id, nisi fortè jubente vel svadente ita Confessario, neglexerint, & quidem in propria ipsorum Parochiali Ecclesia, deq; manibus Parochi, aut Vicarii ejus: excepto, si vel degant tunc ipsi apud exteros, vel Sacerdos externus licentiam ad id Lociordinarii Parochivè habeat, notatos in Libro denuncient Lociordinario, vel Visitatoribus ejus monitosque, & nihilominus inobedientes, prohibitionis, ut supra, ingressus Ecclesiæ, atq; sepulturæ pœna mulctent, non obstante, quòd aliqui inimicitiis, aut actione in jure, impediri se, à Sacra Communione causentur: quandoquidem petita ab offenso venia, & oblata satisfactione, semotaq; penitus ex animo ira, & cupiditate vindictæ, habilem se quilibet ad eam reddere potest.

Contra verò arcendi atq; repellendi sunt, ab hoc pleno sanctitatis omnis Sacramento, excommunicati, interdicti, concubinarii, fœneratores, ebriosi, & alii quicunq; publicè scandalosi ho-

losi ho-

losi homines, qui semel & iterum, ad sacram Synaxim, post promissam vitæ emendationem admissi, revertuntur veluti canes ad vomitum, computrescuntq; ut jumenta, in stercoribus suis; nisi postquam revera resipuisse eos, vitamq; mutasse in melius, certum ac evidens fuerit. Sed nec pueris usu rationis carentibus, adolescentulisvè, nisi priùs benè examinatis, ac pro captu illorum de vi & natura Sacramenti hujus instructis, à Parocho permittenda est Sacra Communio. Amentibus item atq; furiosis, præterquam cùm vel lucida habent intervalla, vel in mortis versantur articulo, exputionisq; aut irreverentiæ alterius non adest periculum, & si antequam in amentiam inciderant, desiderio Sacramenti hujus flagraverunt.

Accessuri ad mensam Christi, moneantur sedulò, ut attenta dignitate, atq; præstantia Sacramenti hujus, quod non solum multiplices, ut alia gratias, sed etiam fontem ipsum auctoremq; gratiarum omnium in se complectitur, probent primùm seipsos, & sic de pane illo edant, & de calice bibant; ne quod minatur Apostolus, rei aliâs corporis & sanguinis Domini peragantur. Ac proinde, ut excussis naviter conscientiarum suarum recessibus, sordes & maculas omnes, confessione Sacramentali ex animis eluant; offensas & odia, si quæ mentibus alunt, deponant, dimittantq; ex cordibus fratribus suis. Matrimonio juncti, per aliquot ante & post communionem dies, cōtineant ab invicem; omnes autem à cibo & potu, à media præcedentis diei nocte, ad communionis usque tempus, jejuniq́ue omninò ad eam accedant. Deniq; sic se totos corporibus & animis præparent, ut dignum tantus hospes, majestate sua habitaculum in illis reperiat.

Administraturi Eucharistiam Parochi, non discurrant cum illa per Ecclesiam, ut pleriq; facere frequenti populo solent, distributa utrinq; veluti in filium agresti turba, à qua propterea ipsi, non solùm premuntur irreverenter, sed & protruduntur, quandoq; non sine periculo: quin potiùs ad Altare majus, vel aliud quod illis opportunum magis videbitur, erectis cancellis, vel circumpositis pro tempore æqualibus scamnis, ijsdemque

de centes

decenter stratis, venerabundos, ut tam sancta & tremenda mysteria decet, sineque tumultu, & impeditione alterius ab altero, accedere quidem ab uno latere Ecclesiæ, recedere autem ab altero jubeant.

Accensis deinde in Altari, si fortè extra Missam peragenda erit Communio, cæreis; ac ubi id Ecclesiæ facultates permittunt, etiam intortitiis, factaq; generali Confessione sivè à populo præloquente Parocho nativâ illorum lingvâ, sive à Clerico nomine omnium Latina, conversus ad populum Parochus, dicat Orationes: *Misereatur, &c:* & *Indulgentiam, &c:* Deinde positis pro numero communicantium, non quidem in patina, nisi pauci sint admodum propter dejectionis vento, insufflatione, aut motu aliquo incauto periculum, sed in calice consecrato, pixidivè gestatoria, ad hunc usum comparata, pluribus vel paucioribus hostiis, unamq; illarum summis dextræ digitis super vasculum tenens, & ad communicaturos versus, dicat: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Deinde subsequente verba ejus populo, repetat ter: *Domine non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, & sanabitur anima mea,* singulisq; singulas particulas porrigens, proferat hæc verba: *Corpus & Sangvis Domini nostri JESV Christi, proficiat tibi in vitam æternam. Amen.*

Recedenti ab Altari populo, propinetur à Clericis pro ablutione, vinum, si tenues reditus Ecclesiæ fuerint, aqua dilutum, in argenteo vel stanneo calice, non consecrato tamen, mundumq; ac nitidum mantile, pro abstergendo ore offeratur.

Moneantur deniq; fideles, ne post susceptam Eucharistiam commessationibus atq; conviviis indulgeant; sed modicâ refectione contenti, totum illum diem, visitandis Ecclesiis, Divinoq; hoc beneficio recolendo, impendant.

Quando verò infirmi procurandi hoc Sacramento erunt, deferatur ad illos quàm honorificentissimè à Sacerdote, superpelliceo, & stola induto, in vasculo decenti, & velato, subq; umbella, ubi id commodè fieri potest, præcedentibus Ministris Ecclesiæ, itidem superpelliceatis, cum vexillis, facibus, cæreisvè

accensis, & tintinnabulo: Hymnosque, aut Antiphonas convenientes huic Sacramento canentibus, ac populo sequente; qui ut frequens & devotus comitari assvescat, moneatur sedulò in Concionibus, ac præsertim sicubi Confraternitates laicorum pietati huic destinatæ habentur, ut illam assiduè exerceant.

Et si quidem ægrotus non longè abfuerit, portentur ad minimum duæ particulæ, quarum una in pixide, redeunte ad Ecclesiam Presbytero, maneat, ne inane vasculum adoretur ab ob viis, qui si fortè tunc curru aut equo vehentur, desilire subitò, procidereq; in genua, & sic flexi persistere, donec Dominus & DEUS illorum transeat, doceantur.

Quod si remotiùs à villa, vel Oppido, ac proinde equitem oporteat ire Presbyterum; tunc omisso dicto apparatu, unicaq; hostia, in perulam auro vel serico textam, quæ ex collo illius, cum nollula tinniente pendeat, assumpta, proficiscatur lento & modesto gradu: ubi tamen ad locum pervenerit, superpelliceum & stolam omnino adhibeat, ministratoque Sacramento, sine sonitu campanulæ, atq; occultata perula revertatur.

Monendi sunt autem ij, qui Parochum, de infirmo salutare hoc viaticum exposcente, certiorem reddent, ut cubiculum ejus purgari à sordibus, & profana inde omnia amoveri: mensam item, in qua super corporali Sacramentum collocetur, mundâ atq; nitidâ mappâ sterni, poniq; in ea cæreos accensos, & imagines sacras, aut saltem crucem cum vasculis aquæ benedictæ, & vini pro ablutione, ante sacerdotis adventum, curent.

Collocato ut supra Sacramento, si ob distantiam loci, vel instans mortis periculum, unâ eâdemq; operâ audienda ægroti fuerit confessio, primùm id Sacerdos, excedere omnibus cubiculo, atq; foris orare jussis, præstet. Deinde sacram ei Communionem exhibeat. Porrò aliâs semper, quando vicinitas loci, nec adeò afflicta infirmi valetudo patitur, aditum priùs hoc nomine, audiat, & præparet, tuncque demum ad eum Divinam Syntaxim ferat.

Ad neminem autem deferatur, qui eam revera percepturus non est; quod si interea dum defertur, ægritudo infirmi ita

invale-

invalescat, ut ei non possit tutò ministrari; tunc posita Presbyter super mensam pixide, immoretur paululùm prostratusque genibus unà cum aliis qui aderunt, Deum suplex oret; deinde consolato salubriter pro tempore ægroto, videndam si id optet atque adorandam eidem Eucharistiam exhibeat, aut saltem recessurus, inclusa in vasculo, benedicat.

Potest autem, imò debet Sacramentum hoc ministrari ægrotis, tam valde & repentè vi morbi oppressis, ut periculum sit, ne sine viatico decedant, quandocunq; etiam noctu, postq; sumptum ab eis cibum, si nihil aliud obstet.

Denique monendi sunt magistratus, ne mulctandos capite, mori sine sacra communione permittant: communicaturosq; hujusmodi exsolutos vinculis, educi ex carcere in liberiorem ac decentiorem locum, pro reverentia tanti Sacramenti faciant; nec quenquam, eo die quo Eucharistiam sumpsit, supplicio affici patiantur.

De Sacrificio Missæ.

QVia verò eadem Divina Synaxis, non Sacramenti tantùm, atque alimenti Cælestis fidelium, sed etiam jugis, Christo ita ordinante, vereq; propitiatorii, pro vivis & defunctis Sacrificii, vim ac nomen obtinet; provideant etiam atq; etiam Sacerdotes Domini, ut quàm sanctam, augustam, & tremendam hostiam hanc esse sciunt, tam piè & sanctè comparatis animis, locoque, tempore, & modo convenientibus, ad oblationem illius accedant.

Et inprimis, nemo in privatis ædibus, extra Ecclesiam, vel Oratoria, ad hunc ipsum usum deputata, probataque ab Ordinario, quin & in Ecclesia non consecrata, interdicta, profanata, effusioneq; violenta sanguinis, vel seminis humani voluntaria, hæreticorumvè aut excommunicatorum sepulturis, vel aliâs quomodolibet polluta sive execrata, sine licentia Ordinarii, aut interdicti, profanationis, pollutionis, execrationisvè hujusmodi relaxatione, celebrare audeat.

Nemo item ante auroram, vel post meridiem, pluriesvè in. die,

in die, Natali duntaxat Salvatoris excepto, in quo licitè tres Missas celebrare quilibet Sacerdos potest, primam quidem media nocte, secundam in aurora, tertiam interdiu, vel omnes tres simul post auroram horâ competente, ablutione tamen usque ad ultimam rejecta. Sed & Missa *Rorate*, quam vocant, decantari solita in hac Provincia per totum Adventum, nunquam antè auroram cantetur, legaturvè.

Nullus præterea excommunicatus, interdictus, vel suspensus ab Ordinum exercitio, publicevè & notoriè criminosus, nisi quem postea vitæ & morum honestas commendent; nullus item vagus, peregrinus, ignotusq; sine testimonio Ordinationis, & conversationis suæ, ad celebrationem Missæ admittatur.

Nemo denique nisi jejunus, ut supra, dormitione sive digestione præhabitis, recitatisq; horis Canonicis, saltem Matutino & Laudibus, Confessione item Sacramentali, si sibi sit conscius peccati mortalis, & copiam confessoris habeat, præmissa, aut saltem contritus, firmumq; propositum confitendi, quamprimùm confessorem nactus fuerit, habens, sacrum Missæ officium celebrare audeat.

Recollecto deinde à profanis animo, atque in sedula mysterii hujus cogitatione defixo, statuat ipse secum, consecrare & offerre Sacrificium, pro qua tunc re, vel persona tenebitur ex officio, aut aliâs ipsi placuerit; præscriptasq; in Missali preces sive accessum, ut vocant, piè ac devotè recitet; Missam dicendam reperiat, & singulas ejus partes notet, ne tunc demum quærendis illis immoretur, cùm jam ad Altare fuerit; ad quod non accedat, nisi infrascripta hæc adsint.

Primò, Altare ipsum consecratum, aut saltem Portatile integrum, vel non enormiter læsum, neque violatum, tantæ latitudinis: ut calicem & hostiam capiat. Mappæ ad minus tres mundæ, & quæ totum Altare tegant. Antependium decens. Ampullæ cum vino & aqua. Vinum autem defœcatum, merum, non acidum, neque aliàs quomodolibet corruptum. Hostia triticea, pura, candida, illæsa, mediocriter subtilis, & recens. Calix cum patina, tersus, nitidusq; non fractus, ne cære-

us, aut

us, aut ex aurichalco, ſed argenteus, & ab intra ſaltem deauratus. Veſtes item non ſordidæ, nec laceræ. Corporalia, Pallæ, & Purificatoria benè lota. Vniverſa autem hæc, conſecrata ritu ſolemni, & benedicta. Poſtremò, accendantur cærei, Cruxq; in medio Altaris ſtatuatur.

Tum demum veſtitus decenter, vultuque & habitu totius corporis ad devotionem compoſito, accedat ad Altare Domini Sacerdos, dicatq; & faciat omnia, juxta præſcriptum Miſſalis, nihil omnino addens, mutans, minuensvè, neque fidens memoriæ, ſed lecta in libro, ſecretiora quidem ſubmiſſè, reliqua autem clarè & diſtinctè pronuntians.

Non ſit autem nimiùm moroſus, neque celer, ſed adhibeat judicium, ſervet mediocritatem; geſtus omnes graviter, genuflexiones profundè faciat, caveatq; ne in elevatione ſanctiſſimi Sacramenti, Hoſtiam vel Calicem retro caput declinet, ſed rectum utrumq; elevet, fixosque in illa oculos habeat.

Illiberales etiam illæ, oſtiatim à pauperibus Presbyteris, pro celebrandis novis Miſſis, aut apparandis potiùs illarum conviviis, ſolitæ fieri eleemoſynarum petitiones, uti ſcandaloſæ, ſtatuque & ordine Sacerdotali indignæ, quin & convivia ipsa lautè nimis ac inſtar nuptiarum conſveta tunc inſtrui, aliiq; ſimiles abuſus, omninò tollantur.

Dum cantata Miſſa habetur, videant Cantores ut concinnè, diſtinctè, ac nonniſi propria temporis cujusque, juxta Rubricæ Cathedralis & Miſſalis Romani præſcriptum, canant. In Votivis autem, Proſas cani antiquitùs ſolitas, præter eas, quæ ad calcem Gradualis, Cracoviæ recèns impreſſi habentur, non decantent. *Kyrie eleiſon*, *Et in terra*, *Sanctus*, aliaq; his ſimilia alieno à Miſſali textu ne infarciant, Choraliq; potiùs quàm ſymphoniaco cantu, ſi huic vel numero vel arte ſunt impares, pſallant.

Sed & fideles moneantur, ut devotè, reverenter, & attentè aſſiſtant Divinis myſteriis. Et inprimis, ne ſtatim poſt elevationem ſanctiſſimi Sacramenti, non expectata, ut plurimi faciunt, communione, ex qua præcipuè auditæ Miſſæ fructus capi

debet,

debet, anteq; benedictionem à Sacerdote datam discedant, sed ad finem usq; perseverent: alioqui præterquam quòd spirituali se participatione Sacramenti hujus privant, præcepto quoq; Ecclesiæ de audienda integrè festivis diebus Missa, non satisfaciunt.

Consvetudo etiam illa laudabilis, deferendi oblationes ad Altare, adorandæq; & osculandæ Sanctæ Crucis, sicut retinenda meritò, atq; commendanda est fidelibus: ita ut quàm minimo eorundem tumultu ac perturbatione fiat, præsertim post peractam in Missa consecrationem, cùm attentissimos omnes esse decet, provideant Parochi.

De Processione cum Sanctissimo Sacramento.

SAnctissimè institutum est ab Ecclesia, ut singulis annis in peculiari Corporis Christi Festo, celeberrima toto orbe instituatur Processio, in qua præcelsum hoc & venerabile Sacramentum, reverenter ac honorificè, per vias & loca publica, circumferatur; cùm ad repræsentandum gloriosum Salvatoris nostri de morte triumphum, tum ad confundendam hæreticorum perfidiam: quæ proinde celebritas, ut quàm piissimè & ordinatissimè peragatur, dent operam Parochi, aliique, ad quorum id munus & officium spectat.

Et inprimis in Dominica solemnitatem hanc proximè præcedente exhortentur populum, ut jejunare, confiteri, communicare, ac non solùm dictam Processionem comitari, sed omnibus etiam Divinis Officiis, tam ipso solemnitatis die, quàm per totam octavam, interesse studeant.

Quod ut libentiùs atq; ardentiùs faciant fideles, concessas hoc nomine à Romanis Pontificibus Indulgentias promulgent. Quisquis enim, pridie Festi hujus, verè pœnitens & confessus, jejunaverit, vel in ipso Festo Sacram Communionem sumpserit, Processionemvè dictam prosecutus fuerit, matutino aut sacro Missæ officio, primisvè aut secundis Vesperis interfuerit; pro qualibet devotione hujusmodi, ducentorum; qui verò eadem die, Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Completorio adfuerit, pro singulis pariter Horis, octoginta; qui denique intra octavam, Vesper-

Vespertina, Matutina solemnium Missarum & Horarum frequentaverit officia, ducentorum dierum Indulgentiam singulis ejusdem octavæ diebus, Apostolica largitione consequetur.

In ipso porrò solemnitatis die, ubicunq; plures habentur Ecclesiæ, omnes reliquarum, etiam Regulares, Clerici, absolutis in Ecclesiis suis Missis, & Processionibus circa eas factis, atq; Eucharistia ex Altari in Sacristiam delata, ad Metropolitanam, Cathedralem, vel Collegiatam celebrem, si quæ adest, aliâs ad Parochialem Ecclesiam, modo & ordine, Cracoviæ nuper, juxta consvetudinem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quæ omnium Ecclesiarum mater est & magistra, instituto. Ad deducendum inde per plateas civitatis vel oppidi, atque reducendum iterum Sanctissimum Sacramentum, processionaliter, cum vexillis & crucibus; Regulares quidem habitu Ordinis quiq; sui, Clerici minores superpelliceis, Subdiaconi & Diaconi dalmaticis, Presbyteri cassulis pretiosioribus induti, habentesq; singuli cæreos in manibus, quos in Processione accendant, ac singulos Ordines Sacerdote, superpelliceo, stola & pluviali amicto, qui Crucem aut Sacras Reliquias deferat, subsequente, hora à Prælato primariæ Ecclesiæ illis assignanda, conveniant. Ubi etiam Confraternitates sæcularium, & societates opificum, cum facibus vel cæreis tempestivè adsint.

Egrediente à dicta Ecclesia processione, & ad illam revertente, omnes ejus campanæ pulsentur, reliquarum autem Ecclesiarum, tunc, cùm per vicina illis loca processio transibit.

Atque primo quidem loco, sodalitia laicorum procedant; hos sequantur pueri, seu scholares, lineis induti, non calices tamen sacros, ut magno & periculoso abusu fieri solet, sed candelas accensas, aut insignia Passionis Domini portantes; subinde Regulares, loco, & ordine quique suo; post hos musica, & clerꝰ sæcularis, cùm inferiorum si quæ adsint, tum principalis Ecclesiæ; ac demùm Sacerdos cum ministris, Sacrosanctam Eucharistiam in tabernaculo ostensorio argenteo, subq; baldachino, deferendo ab honoratioribus loci illius personis, magna devotione, atque fixis in illam continuè oculis gestans.

Sed &

Sed & alii omnes, modestè ac devotè inter eundem se gerant, neque colloquantur invicem, aut curiosè hinc inde aspiciant, sed orationibus, & meditationibus piis vacent, Psalmosq; Antiphonas, vel Hymnos psallant, recitentvè.

Constituantur etiam duo aut plures, pro eo ac frequens processio fuerit, directores illius, viri maturi & graves, cum baculis rubeis, ad hunc usum faciendis, qui progredientes ordinent, dirigant, & ubi opus erit, jubeant subsistere arceantq; populum, ne immiscens se Clero, filum & ordinem processionis perturbet, sed ut omnes à tergo Sacramenti sequantur, primò quidem mares, posteriùs fœminæ, utrique cum luminibus accensis.

Viæ publicæ, per quas transeundum erit, mundentur, ornenturq; nulla tamen in eis signa, aut imagines profanæ exponantur, nulla exhibeantur spectacula, vel repræsentationes, quæ oculos & animos transeuntium, à sancta mysterii hujus cogitatione avertant.

Altaria quoque pro stationibus paranda, stragulis cubilium, conopæis, & cæteris hujusmodi, ad alios quàm ad sacros usus destinatis, non ornentur; omniaque circa illa, modo & ordine, in libro agendorum præscripto, fiant.

Postremò, finita & reducta ad eandem Ecclesiam Processione, omnes, tam Clerici, quàm laici, eodem ordine quo venerant, revertantur ad suas Ecclesias, quæ & ipsæ pariter, ubi id commodè fieri potest, præter Processiones quotidie circa Ecclesiam obiri consvetas, unam solemniorem cæteris, Dominica infra Octavas, vel in ipsa Octava, per adiacentes sibi vicos, cum populo suo instituant.

Denique in pagis & oppidis, una est tantùm Ecclesia, per nobiliorem atque planiorem earum partem, non tamen per campos aut agros, quàm decentissimè, juxta supra scripta, hæc eadem Processio fiat.

De Ma-

ACcessuri fideles ad magnum Matrimonii Sacramentum, meminerint se esse filios Sanctorum, & rem Sanctam tractare; ac proinde non sicut eqvus, & mulus, aut gentes quæ Deum ignorant, sed ut Sanctos decet, cum timore Domini, jugum hoc subeant, gerantque.

Et inprimis non alio fine, quàm propter quem divinitùs institutum est, ad illud accedant; ob procreationem videlicet, ac educationem prolis ad gloriam Dei, individuamque vitæ, & adversorum juxta atque prosperorum omnium societatem, & communionem inter se colendam.

Debent autem iniri Matrimonia, libero & mutuo contrahentium consensu. Quodsi Domini, aut Magistratus, sub quorum jurisdictione contracturi degunt, eos quovis modo coëgerint ad contrahendum; pœnam anathematis à Sacro Tridentino Concilio propositam, *Sess. 24. de ref. c. 9.* ipso facto incurrunt.

Sed & si quis mulierem rapuerit, præterquam quòd ipse & complices ejus excommunicati sunt ipso jure, Matrimonium etiam inter illos non potest consistere, quàm diu rapta in raptoris potestate manserit; si tamen separata à raptore, inque tuto & libero loco constituta, in Matrimonium ejus consentiat, eam raptor in uxorem habebit.

Consanguinei quoq; & affines, vel cognatione spirituali conjuncti, non admittendi sunt ad Matrimonium, in gradibus à jure prohibitis, nisi dispensationem à Sede Apostolica obtineant, & probent. Ac cognatio quidem tam consanguinitatis, quàm affinitatis legitimæ, ad quartum usque gradum; affinitas autem ex fornicatione contracta, ad secundum inclusivè, impedit illud & dirimit: idemque operatur cognatio spiritualis, ex Baptismo & Confirmatione, inter certas personas proveniens, de qua supra.

Quò meliùs autem innotescat Parocho, an hæc, vel alia hujusmodi, contrahendum Matrimonium non impediant; nullos copulare audeat, sub pœna arbitrio Loci Ordinarii infligenda,

genda, absque trina, in tribus continuè Dominicis, vel Festis ad populum celebribus, publicè intra Missarum solemnia, denuntiatione præmissa: nisi fortè vel post Matrimonium differendas, Loci ordinarius ex rationabili aliqua causa, remittendas hujusmodi denuntiationes censuerit, quemadmodum Trident: Concilii decreto providè statuitur, *Sess. 24. de ref: c. 1.*

Tantò verò minùs præsumat, conjungere vagos & ignotos homines, nisi diligenti inquisitione de statu illorum, & an fidem aliis non dederint, facta; facultateque ab Ordinario loci, vel Officio ejus, præstandi id, obtenta: neq; item alienæ Parochiæ incolas, nisi licentia proprii eorundem Parochi, & de factis ab eo bannis nec reperto tamen ullo impedimento, attestatione præhabita; aliàs si quis secus alterius Parochiæ sponsos, copulare Matrimonio, aut benedicere ausus fuerit, ipso jure tam diu suspensus manebit, donec ab Ordinario Parochi illius, qui Matrimonio interesse debebat, seu à quo benedictio suscipienda erat, sicut Decreto Tridentini Concilii cautum est, *Sess. 24. de ref. c. 1.* absolvatur:

Sed & si quod aliud præterea impedimenti genus, à Sacris Canonibus sancitum, occurrerit Parochis, admoneant ea de re, & repellant volentes contrahere, vel si, an revera impediat, dubitent, suspendant tantisper, donec consilium atque sententiam peritiorum Sacerdotum exquirant.

Persvadeant autem sponsis, ut antequam contrahant, vel triduo saltem ante consummationem Matrimonii, quò uberiorem gratiam & benedictionem Domini recipiant, expurgatis per confessionem animis, piè & devotè, ad Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum accedant.

Meminerint contrahentes sponsalia per verba de præsenti, id est, Matrimonium ipsum nullum esse, nisi observata fuerit forma à Tridentino Concilio præscripta, *Sup: ibid:* id est, Parocho & testibus saltem duobus, adhibitis.

Denique peractis omnibus iis, quæ de ritu & administratione Sacramenti hujus, fusè in libro Agendorum tractantur, notet diligenter Parochus nomina & cognomina, tam conju-
gum,

gum, quàm testium, qui aderunt diemq; & locum contracti Matrimonii, in destinato ad id libro in hunc modum: Anno, Mense, die, &c. Ego N. Plebanus, vel Vicarius Ecclesiæ Parochialis N. Matrimonium inter N. & N. contractum, confirmavi in eadem Ecclesia, vel alibi, Præsentibus N. & N. & aliis multis de populo, præmissis solitis denuntiationibus.

De Extrema Unctione.

QVò periculosiùs venenatus ille serpens insidiatur calcaneo hominum, sæviùsq; quàm aliàs unquam, in extremo agone positos aggreditur, eò diligentiores sint Parochi, in suppeditandos eis ultimo præsidio, Extremaq; Unctione tempestivè, post alia Sacramenta, dum integris adhuc sunt sensibus, ministranda.

Si quem tamen illorum, vel violentia morbi, vel repentinus aliquis casus ita oppresserit, ut sensu & ratione penitus destituatur, confiteriq; propterea & communicare non valeat, inungendus erit nihilominus, præsertim si dum adhuc usum rationis haberet, significationem pii animi præ se tulit, confessusq; in proximo Paschate, Eucharistiam percepit.

Ac si quidem inter ungendum exspiret, omittatur ulterior unctio; si verò non constet, vivusné sit an mortuus, terminetur adhibitâ hac cautione: *Si es vivus, per istam unctionem indulgeat tibi, &c:*

Quòd si infirmus compos sit rationis, & audiat quæ ei dicuntur, consoletur eum præterea Parochus, svadeatq; ut ægritudinem illam patienter ferat, deponat curam rerum terrenarum, Cœlestia cogitet, mortem ne timeat, quin potiùs bono & alacri sit animo, misericordiam Dei speret, evocariq; se ex hac valle lachrymarum ad æternam felicitatem gaudeat.

Oret item & ipse pro eo, & alios qui aderunt, ut orent, admoneat, siq; illum animam agere perspexerit, ne discedat, sed præstò sit agonizanti, cum omni charitate, commendetq; Deo animam ipsius, Orationibus solitis, & maximo quo poterit, pietatis Christianæ affectu.

G2 Porrò

Porrò in una & eadem ægritudine, ſemel tantùm ungatur infirmus, idq; in extremis; qui ſi convaleſcat, repetatur unctio, quoties in ſimile vitæ diſcrimen inciderit. Cætera quæ huc ſpectant, ex libro Agendorum petant Parochi.

De Sacramentalibus, Cæremonialibusq; & abuſu illorum tollendo.

QVàm pium eſt ac utile, Sacramentalibus & Cæremonialibus Eccleſiæ religiosè uti; tam ſacrilegum, aliter illa, vel alio quam quo & qualiter inſtituta ſunt, adhibere. Moneantur proinde fideles à Parochis, ut ſale, aqua, vino, avena, auro, myrrha, thure, candelis, palmis, igni, cibo, potu, & herbis benedicendis, pro tempore, juxta vel inſtitutum Eccleſiæ, vel conſvetudinem Provinciæ hujus laudabilem, non ſuperſtitiosè, nec ad maleficia, ut aliqui faciunt, ſed piè, ſanctéq; ad propulſandas artes ſathanicas, animiq; & corporis ſanitatem benedictione Domini tuendam, utantur; & inprimis ad offerenda illa Sacerdotibus, vel recipienda ab eis, modeſtè, ordinatè, ſineq; ſtrepitu & tumultu, accedant.

Puerperas fornicarias non inducant Parochi in templum, ne crimen earum videatur probare Eccleſia; ſed ſi publicè peccaverunt, publicè pœniteant; ſi occultè, occultè, etiam abſolvantur.

Cærimonialia quoque, tam Parochi, quàm populus, nonniſi probata & permiſſa ab Ordinariis uſurpent. Porrò circuitus, ſeu proceſſiones circa fontem Baptiſmalem, in triduo Paſchatis fieri conſvetas, excepto Sabbato ſancto circa benedictionem aquæ, ne faciant; eodemq; tempore, madefactionibus aliorum petulantibus & periculoſis, geſtatione clavatum textarum ex ſalice, quibus obvios cedunt, curſitationibus per pagos & oppida, quas ovationes vocant, obequitationibus ſegetum, ereptionibusque tunc ab invicem ſacrarum imaginum, quas per campos deferunt, ac decertationibus pro iiſdem nonnunquam cruentis, omninò abſtineant. Die quoque Aſcenſionis Domini, ſimulachra dæmonum, ex laqueari Eccleſiæ ſive undecunque

que aliâs, ne deiiciant, neque insolenter ac tumultuosè per publicas vias trahant. In Festo etiam Sancti Joannis Baptistæ, ducendis circa ignes & arbores choreis, non vacent: aliaq; his similia, indigna Christianis, non exerceant. Hæc enim vel accepta sunt ab Ethnicis, vel eò diriguntur, malitia & fraude diaboli, ut populum à recolendis redemptionis nostræ mysteriis, cultuq; & observantia utili Festorum, ad nugas & ludicra avertant.

De visitatione Parochiarum.

QVia plurimùm ad bonum regimen refert, præter providentiam mentis, corporis etiam sensus adhibere, & cuncta præsenti lucrari intuitu; non contenti publicè & in Ecclesia saluti suorum inservire Parochi, privatim etiam domi, statum, vitam, & mores cujusque cognoscere studeant, habeantq; descriptam in libro totam suam Parochiam, in quo appareat, quot & quas Parochia illa villas, villa domos, domus animas, comprehendant. Quæ quidem descriptio fiebat antiquitùs Kalendis Januarii, unde nunc fortassè Kalendas vocamus, vel initio Quadragesimæ.

His ergô temporibus, vel quando eis commodiùs videbitur, per se, vel Vicarios suos, ad pietatem, non ad quæstum, nec quærentes quæ sua sunt, sed quæ JESU Christi, domos singulorum visitent, ingressiq; juxta præceptum Domini dicant: *Pax huic domui*: vel aliâ quæpiam ex multis, quæ in Epistolis D. Pauli perpulchræ habentur, benedictionis formula utantur.

Convocatâ deinde totâ domo, instruant eos de necessariis ad salutem; & an sciant munire se signo Sanctæ Crucis, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apostolorum, Decalogi & Ecclesiæ præcepta, examinent; deq; vita, moribus, occupationibus, studiis & necessitatibus singulorum inquirant. Acsi quidem aliquos ebriosos, perjuros, fures, fœneratores, fornicarios, adulteros, homicidas, blasphemos, Festorum violatores, maleficiis & incantationibus deditos, aut quovis alio peccati & criminis genere obstrictos repererint, primùm eos, charitate atq; lenitate verborum, qua ma-

xima

xima poterunt, inter se & ipsos solos corripiant; deinde si nihil profecerint, unum atq; alterum, viros probos & prudentes peccatoribus familiares, adhibeant; quodsi ne tum quidem resipuerint, nomina & excessus illorum ad Ordinarium loci, vel visitatores ejus, deferant.

Exhortentur deinde, pro ætate, & conditione quemq; sua, senes, ut sobrii sint, pudici, prudentes, sani in fide & patientia; Anus in habitu Sancto, non criminatrices, nec ebrietati, præstigiis, lenociniisvè deditæ. Viduas, ne circumeant vicos, otiosæ, curiosæ, verbosæ, loquentes quæ non oportet, sed ut regant domos suas, filiis & nepotibus benè præsint, mutuamq; vicem parentibus reddant. Maritos, ut diligant uxores suas, sicut Christus dilexit Ecclesiam, filios ad iracundiam ne provocent, sed educent illos in disciplina & correptione, necessitatibus eorum provideant. Qui enim suorum & maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit, & infideli est deterior. Uxores ut viros suos ament, subditæq; sint illis, castas, & sobrias se præstent, curam domus habeant, & ne secum infantes propter suffocationis periculum, noctu in lectis locent. Filios, ut obediant parentibus, Servos & subditos, ut ministrent Dominis in simplicitate cordis, sicut Christo, non ad oculum servientes, nec fraudantes, sed fidem bonam ostendentes, placentesque in omnibus; Dominos, ut remittant minas, scientes, quia utrorumque Dominus est in Cœlis, & personarum acceptio non est apud Deum.

Postremò, si ibi sint aliqui pupilli, virgines, mendici, infirmi, aliævè miserabiles personæ, quæ tam spirituali, quàm corporali ope indigeant, consolentur eos, ineantque rationem, quâ illorum orbitati, pudicitiæ, egestati, valetudini, consulatur; & tum demum, postquam seminaverint spiritualia, non erit magnum si corporalia metant, strenasq; quas vocant, vel porrectiones, ab offerentibus ultrò accipiant. Dominus enim JESUS ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.

De curæ

De cura & administratione Hospitalium.

MAgnus census est pauperum, fidelium charitas, & diligens atq; ordinata Hospitalium administratio; quæ cùm Pastoralis non postrema sit pars officii, dent operam Parochi, ut non solùm ipsi ex frugalitate & parsimonia sua, necessitatibus illorum subveniant, sed & alios, quibus fortè cura earum incumbit, inducant ad explendum sedulò Officium suum.

Et inprimis, ubi perpetui ex statuto, privilegio, vel fundatione, non habentur Hospitalium administratores; viris probis, providis, industriis, non tamen id ambientibus, vel debito aliquo Hospitali obstrictis, permutandis quolibet triennio, provinciam hanc demandari curent, qui Inventarium rerum omnium conficere, exhibereque Ordinario loci; vel visitatoribus ejus, sed & rationem acceptorum, datorumque, reddere quotannis tenebuntur.

Provideant autem, ne mendici, qui vel operâ victum possunt sibi quærere, vel habent aliàs unde vivant, recipiantur ad Hospitalia, prætextuque Eleemosynæ, inertia otiosorum hominum foveatur; sed confecti tantùm morbo, vel ætate, mutilivè, & ad laborem minimè idonei, ac præsertim incolæ loci illius, admittantur. Vagi autem & validi, si laborare noluerint, prohibeantur à Parochis mendicare apud Ecclesias; & à Magistratu sæculari, à villis & oppidis expellantur.

Porrò in quolibet Hospitali, cubicula atq; hypocausta virorum distincta sint à fæminis, neq; unquam versari simul permittantur. Si qui item alios contagioso aliquo morbo possent inficere, separatim à cætu & contubernio reliquorũ maneant.

Neque interim dum corpora illorum curantur, negligantur animi, sæpèq; â Parocho, vel proprio Sacerdote, informentur ad patientiam. & de necessariis ad salutem doceantur. Orationi etiam vacent assiduè, atq; semel saltem in quolibet mense ad Sacram Synaxim confessi accedant.

Moneantur deniq; fideles, ut præter quotidianas eleemosynas, quas vel sedentibus ad januam Ecclèsiæ mendicis distrabuunt, vel collectori ad id deputato, in arculam pixidemvè se-

ratas

ratas imponunt; liberaliores interdum mittere, per suos, aut ipsi deferre, visitareq; Hospitalia, & ibidem pauperibus, aut Christo potiùs in illis, servire assvescant; quibus eleemosynis cum annuo, si qui est, proventu conjunctis, victus inde & amictus pauperum, lectisternia, medicinæ, & aliæ necessitates procurentur.

Quo autem maturiùs, & majori ordine ista peragantur, elaborent Parochi, ut Consules, vel alii locorum Magistratus; cum administratore sive Præposito hospitalis, Parochisvè etiam ipsis, semel saltem in mense, vel sæpiùs prout necessitas postulabit, diebus festis, in loco ad id destinato, conveniant, acturi de rebus, ad rectum regimen Hospitalis pertinentibus; sique aliqua occurrent pro tempore, quæ consilio, subsidio, vel operâ indigere existimaverunt, in medium afferant, consultent, atque opportuna adhibeant remedia; & inprimis provideant, ne indispensandis eleemosynis, aut proventibus hospitalis, defraudentur viscera Christi.

De vita & honestate Clericorum.

UNus ædificans, & alius destruens, quid prodest? Cùm igitur Parochi & alii, quibuscunq; cura animarum incumbit, non tam sæpè doctrina, atque accurato officii sui exercitio, in resurrectionem, quàm vitâ corruptâ & malo exemplo, positi sint in ruinam multorum; caveant, ne quod Pharisæis exprobravit Dominus, *dicunt & non faciunt*; voxque quidem illorum vox sit Jacob, sed manus, manus Esau; quin potiùs in omnibus exhibeant seipsos, sicut Dei ministros, nemini dantes ullam offensionem, ne vituperetur ministerium nostrum, & Nomen Dei propter illos blasphemetur.

Ac inprimis, ut ex habitu etiam corporis externo, interior compositio mentis animiq; illorum appareat, coronam, seu tonsuram in vertice capitis suo quisque ordini congruentem, deferant; barbam prolixè non nutriant præcidique faciant frequenter superioris labri lanuginem, præsertim Sacerdotes, ob irreverentiam sacrosancti Sangvinis evitandam; capillos

non

non calamistrent, nec eminentiores suprà frontem gerant.

Vestitu utantur nigro, talari, modesto, non sordido tamen, ac pro conditione quisque sua. Annulos sub & amissione eorundem, & aliâ, juxta valorem illorum, pecuniariâ pœnâ distribuenda in pauperes, non gestent, nisi Prælati aut quibus hoc competit ex officio, dignitate, gradu, vel Privilegio speciali.

Horas Canonicas singulis diebus, tempestivè, integrè, attentè, & devotè recitent ex Breviario Romano, juxtaq; Rubricam suæ Diœcesis; ad cujus præscriptum etiam reliqua omnia Divina officia dirigant.

Deniq; in suo quilibet officio, ac ordine, DEO, Ecclesiæ, & populo, diligenter serviant, otiumq; inprimis, quod multa docuit mala, imò omnium malorum est Seminarium, cane pejus oderint & angue; ac proinde, quidquid illis ab oratione, Ecclesiæ cultu, sacris officiis, cura animarum, reiq; etiam familiaris necessaria inspectione temporis superfuerit, totum id lectioni, & meditationi Sacrarum literarum tribuant, quo potentiores sint exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere.

Vitam deinde domi, piè, castè, sobriè, instituant. Et inprimis supellectilem domesticam, non pomposam, neque exquisitam, mundam tamen & decentem habeant, quæque, ut à vanitate & superfluitate omni absit, ita dignitati, & statui, vocatorum in sortem Domini, maximè conveniat.

Familiam quoque alant non superfluam, nec discolam, sed benè ac laudabiliter moratam, & quæ in vestitu, cultu, & omnibus actionibus honestam præseferat, sicut decet ministros Ministrorum DEI.

Accubituri mensæ benedicant, & post eam gratias agant; lectionemq; sacram, si qui legat non desit, comestioni adhibeant: gulæ & ebrietati, nec ipsi indulgeant, nec hospites, si quos apud se habebunt, ad eam invitent; sed temperantiam & frugalitatem colant in omnibus, colereq; alios mensâ suâ doceant.

Ex altera tamen parte, avaritiam, quæ est idolorum servitus, fugiant servi DEI, caveantq; ne proventus Ecclesiasticos, qui post provisas competenter ipsorum necessitates, ornamen-

tis Eccleſiæ, pauperumq; eleemoſynis debentur, pro ditandis conſanguineis coacervent, vel ſurripiendas alienis, abuſuris labore illorum, relinquant. Simoniæ item, & uſuræ, filiarum rabioſæ hujus cupiditatis, abominentur turpitudinem, & graviſſimas pœnas perhorreſcant.

Ante omnia verò indignam, quæ etiam non nominetur in bajulis Chriſti, libidinem, ſuſpicionemq; ac occaſionem ejus omnem vitent; neque concubinas, aut alias ſuſpectas mulieres; præſertim juvenes, vel in quarum obſequio aut familiaritate juniores verſantur, domi ſuæ tenere, vel extra fovere, ullamvè cum eis conſvetudinem habere audeant; ſub pœnis à Concilio Tridentino, *Seſſ: 25. de ref: c. 15.* & Conſtit: Provincialibus expreſſis. Licitum tamen erit Sacerdotibus, morbo vel ætate affectis, provectas jam annis & moribus fæminas habere, pro honeſto ſervitio: dummodò de turpi conſvetudine ſecum ſuſpecti antea non fuerint, & in ſeparatis ab invicem cubiculis maneãt.

Curent prætereà, ut teſtimonium habeant bonum, etiam ab his qui foris ſunt, ſicq; inter homines verſentur, ne in opprobrium incidant, & laqueum diaboli, ſed cum Apoſtolo, bonus odor ſint Chriſti. Et ideò tabernas compotandi gratia non adeant; commeſſationes & convivia ſæcularium, etiam rogati, præſertim ubi fæminæ adſunt, non frequentent: profanis ſpectaculis, choreis, luſu aleæ & chartarum omninò abſtineant: aves & canes venaticos non alant, nec venationibus clamoroſis utantur. Non ſint etiam iracundi, maledici, aut percuſſores, quin nec arma ulla offenſiva deferant, vel deferri poſt ſe à famulis faciant, niſi quando ſunt in itinere.

Non arent item in bove ſimul & aſino, neque militantes DEO implicent ſe ſæcularibus negotiis; mercaturam proxeneticam, tabernariam, & alias indignas ſtatu ſuo perſequendi lucri artes non exerceant: œconomias ſeu arendationes, apud ſeculares præſertim, non ſubeant: negotia laicorum & tutelas non gerant; neq; cauſas in foro ſæculari advocent, niſi fortè ſuas, & Eccleſiarum ſuarum, propinquorumvè, aut miſerabilium perſonarum. Fidejuſſiones, excepta Eccleſiæ neceſſitate, non

faciant:

faciant: Clericos ad Judicem sæcularem, omisso proprio Pontifice, non pertrahant, neque citent, sub pœna depositionis & amissionis causæ. Judiciis capitalibus non intersint, quin nec spectaculis suppliciorum, nisi confortandi puniendos gratia: Magnatibus sæcularibus, & multò minùs fœminis, pro Capellanis aut Sacrificis non inserviant, sine scitu, & expressa licentia Ordinarii in scriptis obtenta.

In sermone sint parci, graves, modesti, prudentes, non mordaces, vaniloqui, mendaces, osores, seminantesvè inter fratres discordias. In actione etiam omni, humiles se, mansvetos, patientes, benignos, cùmq; opus fuerit, fortes & invictos animis, atque zelum Domini zelantes, præstent.

Deniq; ita vitam & mores suos, domi forisq; componant, ut habitu, gestu, incessu, studiis, sermone, & actibus omnibus, nihil nisi grave, moderatum, ac religione plenum præseferant, sicq; doctrina & exemplo luceant hominibus, ut debitam sibi apud eos, & ordini suo concilient veneratione, normāq; eisdē, ac vivum exemplar, piè & sanctè vivendi, seipsos exhibeant.

De conservatione bonorum, & Iurium Ecclesiasticorum.

DIfficiè est egentem benè operari, & ideo dent operam Parochi, ut quoniam præter sustentationem honestam sui, & suorum, fabricam quoq; & ornatum curare Ecclesiæ, exercere hospitalitatem, subvenire inopibus, aliaq; onera beneficiis & officiis suis annexa, quæ sumptibus non modicis indigent, sufferre tenentur; jura inprimis, bona, & reditus Ecclesiasticos, quæ sunt quasi basis atque seges rerum agendarum, manu teneant, & conservent: juxtaque juramentum, quod instituendi ad beneficia solenne in manibus Ordinariorum præstiterunt, non modò non alienent ea ipsi, sine speciali & expresso sanctæ Sedis Apostolicæ, Ordinariorum, & omnium quorum interest, assensu, quamvis id evidens Ecclesiæ videatur svadere utilitas, sed & alienata ab aliis recuperare contendant.

Quin neque locare eadem bona possint, ad breve etiam tempus, anticipata solutione, vel compensatione faciendarum

à locatóre meliorationum, ad exitum usque locationis, in præjudicium successoris rejectæ; Hæreticisvè, aut illis qui fundum contiguum Ecclesiastico habent, ne fines propterea turbari & subijci litibus contingat.

Bona item Ecclesiæ mobilia, ut ornamenta, cruces, & calices, dare, aut accipere pignori, vendereq; aut emere jura, privilegia, actiones, vel celare eadem aliunde habita, aut denegare propriis Ecclesiis non audeant, sub pœna excommunicationis, & amissione beneficiorum.

Decimas manipulares, pensione pecuniariâ pro perpetuis temporibus non commutent: præsentes tamen atque separatas à solo, liberum est eis pro suo arbitrio, cui, & quomodo voluerint vendere, dummodò æstimationem illarum, consultò, aut enormiter in damnum Ecclesiæ consequenter futurum, deteriorem non faciant.

Si qui autem sæculares, perfractis omnium Divinarum atq; humanarum legum, quæ Decimas statuunt, repagulis, persolvere easdem recusent, vel rapiant, moneantur à Parochis, ut tremendum anathematis fulmen, quo propterea feriuntur, exclusionemq; à Sacramentis & Ecclesiasticâ sepulturâ, horreant; quin & illud Prophetæ vereantur: *Respexistis ad amplius, & ecce factum est minus.* Experimur enim quotidie eos, qui debitam Ministris Ecclesiæ Decimam subtrahunt, vix non reliquas omnes novem partes perdere infeliciter, mittereq; mercedes in sacculum pertusum, seminare multum, & inferre parum, prohibitis super eos Cœlis ne dent rorem, & terra ne det germen suum, vel si aliquid pullulare atque excrescere cœperit, urente subinde vento, ærugine vel grandine percuti à DEO, residuumq; erucæ locustam, locustæ bruchum, bruchi rubiginem comedere. Cùm è contra alibi protestetur Dominus: *Inferte omnem decimam in horreum, & sic cibus in domo mea; & probate me super hoc, si non aperuero vobis cataractas Cæli, & effudero vobis omnem benedictionem usq; ad abundantiã, & increpabo pro vobis devorantē, & non corrumpet fructum terræ vestræ. Ego exaudiam Cælos, & illi exaudient terram, & terra exaudiet triticum, vinum, & oleũ, & hæc exaudient*

Israel.

Israel. Quæ, & alia similia, inculcare non negligant Parochi.

Jura quoque, Privilegia, & literas fundationum Ecclesiarum, quò minùs fortuitis casibus subjaceant, & custodiantur securiùs, factis, & retentis apud se authenticis illorum exemplis, ad Cathedralis Ecclesiæ vel Collegiatæ, alicujus vicinioris Archivum, unà cum descriptione seu registro omnium bonorum fructuumque sui quisque Plebanatus asservanda, deferant, aut Actis officii Ordinariorum inscribi procurent.

Domos item, ac prædia Ecclesiastica doformata ruinis, resarciant, & recèns erecta tueantur quàm diligentissimè.

De funeribus & suffragiis pro defunctis.

ULtimum charitatis officium impendendæ populo à Parochis, funus est, atque oratio pro defunctis. Quamobrem, cùm primùm obiisse aliquem ex suis cognoverint, Psalmum *Miserere* aut *De profundis*, pro Anima illius orent, recordenturq; ejus in Missa, quàm primam habebunt.

Persvadeant autem hæredibus, & amicis defunctorum, ne diu cadavera insepulta teneant; oppressos tamen repentino aliquo morbo aut casu, ante expletas viginti quatuor horas, vel quamdiu de vita illorum spes aliqua superest, sepulchro ne inferant. Sumptus funerum ut faciant moderatos, expendendæq; potiùs pauperum fami, vel sacrificiis pro anima defuncti procurandis, quàm erigendis pomposè cenotaphiis, aut convi iis lautè apparandis, studeant.

Exequiarum cantus atque ritus omnes, eo modo & ordine fiant, quibus eos liber Agendorum describit. Sed & Conciones funebres, sic instituantur, ut non tam mortuorum celebrentur in iis encomia, quàm vivi, ad meditationem mortis, & emendationem vitæ inducantur.

Faces, & cærei, tela item, pannus, vel sericum, si qui ditiores uti istis vice pallii communis maluerint, Ecclesiæ, illi, in qua corpus humatur, vel ministris ejus, pro consvetudine cedant. De reliquis autem, tempestivè cum Parocho vel alio superiore loci componant curatores funeris, ne in Ecclesia de-

mum

mum concertationes de rebus hujusmodi, ereptionesvè illarum ab invicem indecentes, ac tumultuariæ fiant. Quarta tamen funeralium, juxta sacros Canones & Constitutiones Synodi, salva & integra maneat Parochiali defuncti Ecclesiæ, ubicunque is tandem extra illam, electione etiam sua,; sepeliatur.

Porrò, equos induci in Ecclesiam, vel eos qui hastas frangunt, incitato cursu deijcere se ex equis, cum magno periculo, non permittant Parochi; possunt tamen hæc, & similia, præsertim in funeribus Magnatum, à peditibus, aut extra Ecclesiam fieri.

Prohibendi autem & arcendi sunt ab Ecclesiastica sepultura, præter Paganos, Judæos, & Hæreticos, parvuli abortivi, & sinè Baptismo mortui, excommunicati majori Excommunicatione, interdictique nominatim, nisi reconcilientur Ecclesiæ; decedentes item in torneamento, vel duello; consciscentes mortem sibi ipsis, nisi id ex amentia, vel contra intentionem suam fecerint, ut si quis volens effugere, præcipitet se in fluvium, & pereat; inijcientes violentas manus in personam Ecclesiasticam; non confessi, & non communicati in Paschate, nisi consilio Sacerdotis à communione abstineant; blasphemi in Deum & Sanctos, rapientes decimas, usurarii manifesti, nisi pœniteant, & faciant saltem cautionem de restituendo; Monachus inventus proprietarius, supplicio affectus, impœnitens, ac deniq; quilibet notorius peccator, in ipso notorio mortali decedens, nec confessus, aut signum saltem voluntatis confitendi, vel contritionis, non exhibens. Nemo tamen ob debita, aut non solutas obsequii operævè mercedes, sepulturam cujusquam impedire audeat.

Provideant item Parochi, ne pias fidelium voluntates, qui fundando aut dotando Ecclesias, suffragandi pro se onus ministris earum imposuerunt, deperire ulla ratione, fraudarivè patiantur; nec perfunctoriè, sed diligentissimè illud & adimpleant ipsi, & â vicariis suis, aliisque adimpleri faciant.

Quodsi in aliquibus Ecclesiis, vel tam magnus Missarum celebrandarum hoc nomine impositus est numerus, ut omni-

bus præ-

bus præſcriptis diebus celebrari nequeant, vel adeò tenues pro celebrandis illis aſſignatæ ſunt, Eleemoſinæ, ut non facilè inveniatur qui ſubire hoc minus velit; ſignificent id quàm primùm Loci Ordinario, cui, in Synodo Diœceſana licitum erit de his ſtatuere, quod magis ad DEI honorem & cultum, Eccleſiarumq; utilitatem expedire viderit, quemadmodum ſtatuit Tridentinum Concilium: *Seſ: 25. de ref: c. 4.*

Nunquam tamen die Dominico, Feſtovè ſolenni præcepto ab Eccleſia, aut conſvetudine publica privatavè recepto, etiam ſi fortaſſe in illa inciderent, peragantur Anniverſaria, aut Miſſæ pro Defunctis, ſed in præcedentem vel equentem, diem non impeditam ſimili Feſto, transferantur.

De rebus poſt obitm Clericorum relictis.

CUm Parochus aiquis è vivis exceſſerit, ne ſubinde Eccleſia detrimenti aliquid patiatur, diuque opportuno ſolatio careat; teneatur ſtatim alius vicinior, proprium Decanum vel Officialem foraneum, illi autem, Ordinarium loci, vel Vicarium ejus generalem, per litteras aut Nuncium certiores ea de re facere; addito, teſtatuſnè, an inteſtatus deceſſerit.

Ipſe verò interim, adhibitis Conſule, Judice, vel alio loci Magiſtratu, atque aliquot viris Parochiæ, fide dignis necnon hæredibus vel amicis defuncti, ſi adſint, conficiat Inventarium, tam jurium & ſupellectilis Eccleſiaſticæ, quàm rerum defuncti; omniaq; illa tuto & idoneo loco deponat, retento apud ſe Inventarii exemplo, quod poſtmodum cui vel de jure competet, vel nos mandaverimus, conſignabit.

Nemo autem, cujuſcunq; ſtatus & conditionis exiſtat, etiam Patronus Eccleſiæ, ſanguinevè conjunctus defuncto, citra vel voluntatem ejus, in teſtamento auctoritate ordinaria firmato expreſſam, vel arbitrium & diſpoſitionem aliàs Ordinarii, bona hujusmodi beneficiatorum invadere, rapere, aut quovis modo uſurpare ſibi, clam palamvè audeat, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ.

Teneantur item hæredes defuncti, Clerico in Beneficium

ejus

ejus succeſſuro, libros, ſcripturas, inſtrumenta, & jura quæcunq; ad beneficium illud ſpectantia, ac in bonis mortui reperta, etiamſi propriis illius expenſis confecta, vel extracta fuerint, gratis omnino extradere, ſub eadem excommunicationis pœna.

Quamvis autem & conſvetudine antiqua, & ſtatutis Provincialibus, liberum ſit Clericis hujus Provinciæ diſponere ac teſtari de ſuo peculio; nullus tamen quocunque colore & prætextu, concubinæ ſuæ, vel filiis ex fornicatione ſuſceptis, audeat quidquam de proventibus anni gratiæ, vel aliâs de rebus intuitu Eccleſiæ acquiſitis relinquere. Si quis ſecus fecerit, legatum non teneat, & quod ita relictum eſt cedat Eccleſiæ, cui vivus ſervivit.

Porrò ex inteſtatorum bonis, abſolutâ ſepulturâ, perſolutis debitis, expedita familia, conſolatis propinquis, fabricaque Eccleſiæ & anima defuncti procuratis, quod reliqvum erit, arbitrio Ordinariorum diſpenſetur.

De congregationibus Cleri per Decanos rurales faciendis.

ET quoniam fruſtra leges & ſtatuta conduntur, niſi debitæ mandentur executioni; Loci Ordinarii verò aſſiduè intereſſe omnibus, anque, & quomodo ſinguli Parochorum, vel ſatisfaciant muneri ſuo juxta ſuprascripta, vel mores & vitam inſtituant, explorare ſemper ipſi per ſe nequeunt; expedit, ut præter illos, Viſitatoresq; illorum, Decani etiam rurales ſedulò invigilent, auctoresq; ſint & ſtimuli aliis, ad omnia hæc, quàm accuratiſſimè præſtanda.

Et inprimis quilibet eorum, omnes Decanatûs ſui Parochias, ubi ſitæ ſint, & quàm latè pateant, quoſvè aut quales habeant miniſtros norint probè: deinde bis in anno circumlato proceſſu, omnes earundem Parochiarum Rectores, Commendariosq; & Vicarios illorum, nec non Magiſtros Scholarum & Cantores, tempore ac loco, quæ opportuna magis videbuntur, convocent; cantataq; Miſſa de Spiritu Sancto, & oratione brevi, qua potiſſimùm cauſas atque fructus Convocationis hu-

nis hujuſmodi explicent, præhabitâ, hanc ipſam Epiſtolam Paſtoralem, cum aliquot Synodi decretis, quæ ad illos pertinent, legant; ſubindeq; an aliqui illorum in promotione ad Ordines ſacros, vel eorum executione, acquiſitione beneficiorum vel proviſione, reſidentiâ, curâ, & reparatione Eccleſiarum, prædicatione verbi Dei, doctrinâ neceſſariorum ad ſalutem, adminiſtratione Sacramentorum, in ſacrificiis Sacramentalibuſvè, pietate in pauperes, officio in defunctos, bonorum vel jurium Eccleſiaſticorum tuitione, vitâ denique & moribus, à præſcripto illius defecerint, ſedulò inquirant; & quos opus fuerit, fraternè admoneant: reprehendant, corrigant, vel ſi id gravitas exceſſuum poſtulet, aut contumaces fuerint, ad Ordinarium loci, vel Vicarium ejus generalem deferant.

Si quæ item ſcandala, vol neceſſitates Eccleſiarum, aut caſus explicatu difficiliores occurrerint, inito cum aliis conſilio, quod optimum & maximè ad rem facere videbitur, ſtatuant, decidantque; vel ſi res majori egeat indagine, à Loci Ordinario perquirant.

Nemo autem inter conſulendum, immodeſtis vocibus perſtrepere, vaniſvè aut obſtinatis diſceptationibus contendere audeat: ſed omnia ſedatè, & imperturbatâ recti judicii acie peragantur.

Si qui verò illorum, ad prædictam proprii Decanatus congregationem non venerint, vel juſtas abſentiæ ſuæ cauſas, literis nuntiiſvè non expoſuerint, puniantur mulcta pecuniaria, ſtatuenda pro culpa cujusque, atque exigenda irremiſſibiliter ab Officiali foraneo, & Hoſpitali, aut Eccleſiæ loci, in quo congregatio celebrabitur, applicanda; agente pro ea Decano, expenſis ex eadem pœna deducendis.

Acta denique & petita Conventuum hujusmodi, ſubſcripta à Decano, & duobus Sacerdotibus; quos electos à Clero Decanatûs ſui, & ab Ordinario, nobis probatos, pro conſilio atq; Vicenotarii publici ſemper adhibebit; ad Ordinarium loci ſeu Vicarium ejus tranſmittantur.

Officii prætérea eorundem Decanorum erit, literas &

Processus Ordinariorum, Officialiumq; & Archidiaconorum suorum, circummitti ac exequi a Parochis sinè mora facere; Visitatores intra Decanatum suum comitari, deque statu singularum Ecclesiarum, atque Ministrorum diligentia & moribus informare; necnon mandata illorum & reformationes debitæ demandare executioni; de vacantibus per obitum, aut aliter Ecclesiis, absentiavè Ministrorum ab eis, certiores reddent Ordinarios, quo citiùs ab eisdem, orbitati illarum consuletur; ac denique omnes Decanatûs sui angulos, necessitates Ecclesiarum, illius, Sacerdotum & populi mores, exploratos habere, Ordinariosq; vel Archidiaconos eorum, ubi & quando opus erit, avisare de omnibus.

Sed & ex altera parte, tam Parochi, quàm alii quicunque Commendarii, Vicarii, Clericiq; eorum, oportet ut Decanos suos convenienti honore prosequantur, debitamque illis obedientiam præstent, nihil eos celando, quod sciscitabuntur pro suo officio, communicandoq; cum illis confidenter sua & Ecclesiarum suarum incommoda, ac necessitates; quibus Ordinarii quantùm in illis erit, conabuntur providere, aliàs contumaces ac refractarios, moniti à Decanis punient graviter, pro excessu & culpa cujusq; suo arbitrio.

Atq; hæc sunt fratres charissimi, quæ ex illa immensa Constitutionum de cura & munere Pastorali congerie, assumenda pro usu vestro, & in hoc quasi compendium redigenda putavimus, cognitaq; inprimis & familiaria vobis esse, ac vel ex his, quàm arduum, difficile, operosum, & periculosum sit, pretiosos sanguinis & gratiæ Domini thesauros, tam spinoso præsertim, tortuoso, lubrico, & infesto hostibus, quàm vita est humana itinere, in concreditis vestræ fidei hominibus, qui sunt vasa lutea, invicem faciunt angustias, transferre ad Cœlestem, quod vestri est officii, patriam, perpendere vos, etiam atque etiam optamus. Sed & circumferre oculos mentis vestræ, per totam hanc nostram Provinciam, ac in quàm multis ejus locis, refrixerit charitas, inundaverit iniquitas, sanguis sanguinem tetigerit, cogitare. Monstra item hæresum, quæ depasta sunt vineam Do-

am Domini, polluerunt Sanctuarium, profanaverunt Ecclesias, & plerasq; vilius quàm in pomorum verterunt custodiam, quæq; adhuc, proh dolor! animos multorum occupatos detinent, intueri, atque pro viribus quemque suis, quasi in communi hoc incendio, opem & auxilium ferre. Hortamur proinde atque obsecramus vos, per viscera misericordiæ DEI, ut vobis & saluti eorum, quorum sanguis de manibus vestris requiretur, attendatis, illuminetisque, & doctrina vestra illos, qui in tenebris errorum atque umbra mortis sedent, & exemplo vitæ universos; sicque proficiatis verbo & opere, ut una cum grege vobis concredito, ad gaudia possitis pervenire æterna. Quod vobis concedat benignus & misericors Pater luminum, & bonorum omnium largitor DEUS, qui est benedictus in sæcula. Datum ex Synodo Provinciali Petricoviæ, Idibus Octobris. Anno Domini, M. DC. VII.

Ideò præsens Synodus, ne actum agere, & quæ ab aliis benè & sufficienter statuta sunt, iterum describere videatur: Monet & præcipit Ordinariis, ut ad ejusdem Epistolæ Pastoralis præscriptum, in suis Diœcesibus Sacramenta administrari curent, omnesq; Curati, tam in vita & moribus, quàm in Sacramentorum administratione, & in aliis omnibus ad officium suum pertinentibus sese gerant, neq; ab ejus præscripto vel latum ungvem discedere audeant, sub interminatione Divini Judicii, & gravibus pœnis ab officio Ordinariorum in ipsos decernendis. Decretum quoque Concilii Tridentini *Sess. 23. c. 5.* de Denuntiationibus in Parochiis domicilii Ordinandorum, ante ordinationem faciendis, in viridi observantia servetur.

DEclarationes aliquot Congregationis Concilii Trid: S.D.N. URBANI PP. VIII. authoritate, Romæ recèns editas, ad celebrationem Missarum utilissima præcepta continentes, Synodo publicare placuit; quæ de verbo ad verbum ita se habent.

Super primo Sacræ Concgregationis Decreto, de celebratione Missarum, quo prohibetur, ne Episcopi in Diœcesana Synodo, aut Generales in Capitulis generalibus, vel aliâs quoquo modo, reducant onera ulla Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis:

Quæritur: quid si legatum sit ita tenue, ut non sit qui velit onus illi injunctum subire, & si recurrendum sit ad Sedem Apostolicam pro moderatione oneris, totum aut ferè totum insumendum sit pro expensis ad id necessariis?

Et quid, si permittatur Episcopo in fundatione ut possit hujusmodi onera moderari:

Secundò: Super secundo ejusdem Congregationis Decreto, quo cavetur, ut celebrentur tot missæ, quot ad rationem tributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint:

Quæritur: An verba illa (præscriptæ fuerint) intelligenda sint de præscriptione facta ab offerente, vel ab Ordinario?

Tertiò:

Tertiò: An cùm Ordinarius præscripserit eleemosynam congruam juxta qualitatem loci, personarum, ac temporum, Sacerdotes accipientes stipendium minus congruo, teneantur Missas illis ab offerente præscriptas celebrare?

Quartò: An Sacerdotes, qui tenentur Missas celebrare ratione beneficii, seu capellæ, legati, aut salarii; possint etiam manualem eleemosynam pro Missis votivis, aut Defunctorum, recipere, & unico Missæ sacrificio utrique oneri satisfacere?

Quintò: Posito, quòd Testator relinquat, ut celebrentur pro ejus anima centum Missæ, absque ulla præscriptione eleemosynæ:

Quæritur: an liberum sit hæredibus, eleemosynam sibi benè visam præscribere, an verò eadem eleemosyna præscribenda sit ab Ordinario?

Sextò: Super tertio Congregationis Decreto, in quo eadem Congregatio revocat Privilegia, quibus indulgetur ut certarum Missarum, vel Anniversariorum celebratione, aut aliquibus Collectis, seu Orationibus, plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendis, satisfiat:

Quæritur: An verba (in futurum suscipiendis) intelligenda sint de oneribus suscipiendis post Privilegium?

Septi-

Septimò: Super quarto ejusdem Congregationis Decretò, quo prohibetur Sacerdoti, qui Missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eandem Missam alteri, parte ejusdem eleemosynæ sibi retentâ, celebrandam committat:

Quæritur: An permittendum sit Administratoribus Ecclesiarum, ut retineant aliquam eleemosynarum portionem pro expensis manutentionis Ecclesiæ, Altarium, inservientium, paramentorum, luminum, vini, hostiæ, & similium?

Octavò: An hoc Decretum habeat locum in beneficiis, quæ conferuntur in titulum: id est, An Rector Beneficii, qui potest per alium celebrare, teneatur Sacerdoti celebranti dare stipendium ad rationem redituum Beneficii?

Decimò. An Sacerdotes, quibus aliquando offertur eleemosyna major solitâ, pro celebratione Missæ, debeant dare eandem integram eleemosynam iis, quibus Missas celebrandas committunt: An verò satis sit, ut dent celebrantibus eleemosynam consvetam:

Undecimò: Super quinto ejusdem Congregationis Decreto, quo inter cætera statuitur in hæc verba, (eleemosynas verò manuales & quotidianas pro Missis celebrandis) ita demum eidem accipere possint, si oneri-

oneribus antea impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera obire valeant: Alioquin omninò abstineant ab hujusmodi eleemosynis, etiam spontè oblatis, in futurum recipiendis, & capsulas auferant, &c.

Quæritur: An hoc Decretum prohibeat absolutè, quo minùs accipiant novas eleemosynas ij, qui acceptis non satisfecerunt: & quid si congruo tempore possint omnibus satisfacere:

Duodecimò: quid, si offerens eleemosynas, audito impedimento, consentiat, ut Sacerdos Missam celebret cum primùm poterit?

Decimotertiò: An pœna interdicti, & aliæ appositæ in eodem Decreto afficiant, tam eos qui accipiunt eleemosynas contra formam ibi præscriptam, quàm eos qui non auferunt capsulas ab Ecclesiis, ut ibidem præcipitur?

Decimoquartò: An in hoc Decreto comprehendantur illæ capsulæ, quæ apponi solent in Ecclesiis in die Commemorationis Omnium Sanctorum, & vulgò dicuntur (casse de Morti?)

Decimoquintò: An Administratores Ecclesiæ magnæ devotionis, & concursus, possint eleemosynas pro Missis celebrandis accipere, si iisdem Missis nonnisi post longum tempus satisfacere valeant, ne aliàs cultus Ec-

tus Ecclesiæ, & devotio ac concursus fidelium, ut ajunt, minuantur?

Decimosextò: Quia prohibitio dicti Decreti videtur aliquibus directa solis Capitulis, Collegiis, Societatibus, Congregationibus, necnon omnibus & singulis Ecclesiarum, & piorum locorum, tàm Sæcularium quàm Regularium Superioribus, de quibus fit expressa mentio: non autem privatis Sacerdotibus, qui tamen comprehendi videntur sub clausula generali, (& aliis ad quos pertinet) supplicatur pro opportuna declaratione.

Decimoseptimò: Super septimo ejusdem Sacræ Congregationis Decreto, quo cavetur, ut in singulis Monasteriis Religiosorum præfigatur numerus, qui ex consvetis reditibus, aut eleemosynis, commodè possit sustentari:

Quæritur: An ubi hæc præfixio facta jam fuit in vim similis Decreti san: mem: PAULI V. *absq; tamen computatione redituum cujusque Religiosi, sit denuò facienda, necne?*

Decimooctavò: An novitii ad habitum Regularem admissi, possint admitti ad professionem in Monasteriis, in quibus, habitâ ut supra præfixione numeri, commodè ali non possunt?

Decime

Decimononò: Super ultimo, quo cavetur, ut nullibi recipiantur conventus Regularium. nisi præter alia ad id requisita, duodecim saltem fratres in eis degere & competenter sustentari valeant, ita ut alioquin subsint Jurisdictioni ordinariæ:

Quæritur An hoc Decretum, quod videtur editum in ordine ad celebrationem Missarum, comprehendat eas religiones, quæ non consueverunt onera Missarum recipere, ut sunt Religiones Capuccinorum, ac Societatis Jesu?

Ultimò: An idem Decretum, ubi disponit, ut nullibi recipiantur Monasteria, nisi, &c: habeat locum in Italia duntaxat, ad quam est restrictum Decretum proximè antecedens, an verò etiam extra Italiam?

SAcra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, authoritate sibi à Sanctissimo D. N. attributa, ad singula dubia superiùs proposita, ad hunc modum respondit, videlicet:

Ad primum, etsi legatum sit tenue, nihilominus pro reductione oneris, ut suprà impositi ab iis ad quos pertinet, Sedem Apostolicam esse adeundam, quæ absq; ulla impensa id statuet, quod magis in Domino è re esse judicaverit: Verumtamen si in ipsa be-

neficii erectione expressè cautum fuerit, ut liceat Episcopo injunctum onus reducere, ac moderari legem hanc fundationis, quam Decreta hac de re edita non sustulerunt, esse validam, & observandam.

Ad Secundum; esse intelligenda de præscriptione facta ab eo, qui eleemosynam tribuit, non autem ab Ordinario. Quòd si tribuens eleemosynam numerum Missarum celebrandarum non præscripserit; tunc tot Missas celebrari debere, quot præscripserit Ordinarius secundùm morem suæ Civitatis, vel Provinciæ.

Ad Tertium, teneri.

Ad quartum; Sacerdotes quibus diebus tenentur Missas celebrare ratione beneficii, seu Capellæ, legati, aut salarii, si eleemosynas pro aliis etiam Missis celebrandis susceperint, non posse eadem Missa utrique obligationi satisfacere.

Ad Quintum; Censuit, ubi nullam certam eleemosynam Testator reliquit, esse ab Episcopo præscribendam eleemosynam congruam, quæ respondeat oneribus Missarum celebrandarum, secundùm morem Civitatis, vel Provinciæ.

Ad Sextum, Ita esse intelligenda.

Ad Septimum respondit; permittendum non esse, ut Ecclesiæ, ac loca pia, seu illorum Administratores,

ex eleemo-

ex eleemosynis Missarum celebrandarum ullam, utcumq; minimam, portionem retineant ratione expensarum, quas subeunt in Missarum celebratione, nisi cùm Ecclesiæ, & loca ipsa alios non habent reditus, quos in usum earundem expensarum erogare licitè possint; & tunc quam portionem retinebunt, nullatenùs debere excedere valorem expensarum, quæ pro ipsomet tantùm Missæ sacrificio necessariò sunt subeundæ; & nihilominùs eo etiam casu curandum esse, ut ex pecuniis, quæ supersunt, expensis ut supra deductis, absolutè tot Missæ celebrentur, quot præscriptæ fuerint ab offerentibus eleemosynas.

Ad Octavum; Non habere locum: sed satis esse, ut Rector beneficii, qui potest Missam per alium celebrare, tribuat Sacerdoti celebranti eleemosynam congruam, secundùm morem Civitatis, vel Provinciæ, nisi in fundatione ipsius beneficii aliud cautum fuerit.

Ad Decimum; Debere absolutè integram eleemosynam tribuere Sacerdoti celebranti, nec ullam illius partem sibi retinere posse.

Ad Undecimum respondit; non prohibere absolutè: ac propterea, te si oneribus jam susceptis non satisfecerint, posse tamen nova etiam onera suscipere Missarum celebrandarum, dummodò infra modicum

tempus possint omnibus satisfacere.

Ad Duodecimum; Quamvis onera suscepta infra modicum tempus adimpleri nequeant, si tamen tribuens eleemosynam pro aliarum Mißarum celebratione, id sciat, & consentiat, ut illæ tunc demùm celebrentur, cùm susceptis oneribus satisfactum fuerit, decretum non prohibere, quominus eo casu eleemosyna accipiatur pro iisdem Missis, juxta benefactoris consensum celebrandis.

Ad Decimumtertium; Has pœnas non habere locum, nisi in suscipiendis onera perpetua Missarum celebrandarum sinè licentia Episcopi, vel ejus generalis Vicarii, aut Generalis, vel Provincialis.

Ad Decimumquartum; Comprehendi.

Ad Decimumquintum; Non posse, nisi de consensu eorum, qui eleemosynas tribuunt; ut supra in responsione ad duodecimum.

Ad Decimumsextum; Comprehendi etiam privatos Sacerdotes.

Ad Decimumseptimum; numeri præfixionem esse iterum faciendam, servatâ formâ ultimi decreti hac de re editi.

Ad Decimumoctavum; Esse admittendos ad professionem, si aliàs habiles existant, ac deinde in a-

liquo

liquo alio Monaſterio ejusdem religionis eſſe collocandos, ubi commodè ali poſſint.

Ad Decimumnonum; Cenſuit comprehendere.

Ad Vltimum; Habere locum etiam extra Italiam.

Coſmus Card: de Torres.

Proſper Fagnanus S. Congreg: Secr:

De Ordinandis.

QUia ſacri Canones vetant, ne quis ſinè prævio ſui Ordinarii, ſeu illius Archidiaconi examine, ad Ordines ſacros promoveatur; diſtrictè prohibet Synodus, ne Epiſcopi, qui licentiam habent à Loci Ordinario, exercendi Pontificalia in illius Diœceſi, ullo pacto audeant ſinè examine Lociordinarii, vel Archidiaconi alicui, ſive Sæculari, ſive Regulari, Ordines conferre. Alioquin ſic ordinati juxta Sacri Conc: Trident: præſcriptum, ab exercitio Ordinum ſint ſuſpenſi.

De Conſtitutionibus Synodi.

COnſtitutio Synodi Anni 1601. de jurisdictione Capitulari, ita declaratur: ut per omnia juridictio Capituli ſalva & integra permaneat, ſecundùm verba & diſpoſitionem Concilii Trident. *Seß:* 25. *c.* 6. neq; ultra diſpoſitionem Concilii ſe extendat.

De Com;

De Conſtitutionibus antiquis iterum recudendis.

EXhibiti ſunt Synodo præſenti Conſtitutionum antiquarum Provincialium Libri quatuor, juxta proximæ Synodi decretum, à Dñis Deputatis recognitarum: Quas Illuſtriſſ: D. Archiepiſcopus deſcriptas, & ab Illuſtriſſ: DD. Epiſcopis, qui in præſenti Synodo præſentes fuerunt, ac à DD. Deputatis, qui in præſenti Synodo ad earum recognitionem deſignati fuerunt, ſuperſtitibus reviſas, quam primùm edi curabit.

De Sede vacante.

COnſtitutionem Sprovianam de electione Adminiſtratoris, & bonorum Epiſcopalium Sede vacante regimine, uti Provinciæ hujus rebus, bonis, perſonis & locis accommodatam, ſervandam, Synodus preſens præcipit; vultq; omninò, ut in omnibus Diæceſibus & Eccleſiis Regni hujus, & Magni Ducatûs Lithvaniæ, antequam ad electionem Adminiſtratoris, vel bonorum menſæ Epiſcopalis diſtributionem deveniatur, juramentum præſtetur ſecundùm formam in eadem Sproviana deſcriptam; bonaq; Epiſcopalia in regimen, non per ſenium, uti præſtimonia dividi ſolent; ſed illis, qui magis idonei ad rem familiarem gerendam, & bonorum defenſionem videbuntur, committantur. Et nemo DD. Regentium, bona Clavis ſibi commiſſæ locare, vel in arendam cuipiam concedere præſumat; ſed quilibet Notarium juratũ, unà cũ

Villico in ſua Clave habeat, qui proventus omnes perceptos & expenſos, de quibus unusquisq; Regens rationem reddere debet, fideliter & ordinatè conſcribet, ut nimirum Succeſſor Epiſcopus ſufficientem rationem accepti & expenſi, Inventariumq; omnium habeat; occaſioq; litium & querellarum præcidatur, Salva, honeſta, & ſufficienti proviſione uniuscujusq; Regentis. Ratio verò adminiſtrationis ab uno quoq; Regente, Succeſſori Epiſcopo, intra tres Menſes facienda ſit, primùm in Capitulo, eaq; poſtea ad requiſitionem Epiſcopi illi oſtendenda: Quæ ſi Epiſcopo non ſatisfaciat, de ea cognitio fieri debet ab Epiſcopo, cum adjunctis ex Capitulo, juxta diſpoſitionem Concilii Trident: *Seſſ: 25. c. 6.* A judicio verò Epiſcopi & Adjunctorum Capituli, ad ſuperiorem Judicem appellari poterit. Et quoniam vulgati juris eſt, Sede vacante nihil eſſe innovandum, Capitulum, Adminiſtrator, vel Regens Clavis cujuslibet, abſtinere debet à diſpoſitione quorumvis bonorum; neq; ulla beneficia conferre per ſe, vel ſuum balivum: neq; Capitulum ſubſcribat, vel ſigillo obſignet Privilegia defuncti Archiepiſcopi vel Epiſcopi, quæ vivente Archiepiſcopo vel Epiſcopo, capitulariter ſubſcripta, videlicet ante viginti dies obitus Epiſcopi, vel conſignata à Capitulo non fuerint; ſed quævis Privilegia & gratiæ, quæ effectum ſuum ſortitæ non ſunt ante viginti dies mortis Archiepiſcopi, vel Epiſcopi, futurum Succeſſorem in Archiepiſcopatu vel Epiſcopatu expectent; aliter conceſſa vel edita, nullitatis vitio ſubſint.

De aliena-

OCcurrens præſens Synodus alienationibus bonorum Eccleſiæ, quæ in præjudicium Succeſſoris, vel antea factæ fuerint, vel in futurum contingere poſſent, Judices ad cognoſcendas & examinandas, ſic factas vel faciendas alienationes, adinſtar Decreti Concilii Tridentini, *Seſſ:25. c 11.* in unaquaque Diœceſi ab Illuſtriſſ: Dñis Ordinariis deputandos cenſet, qui ſervato juris ordine procedere debebunt. Comprehendi autem cenſetur in alienationibus, ſylvarum devaſtatio, juxta receptam Doctorum ſententiam, præſertim cùm in tanta deſolatione ſylvarum, illarum indemnitati & conſervationi meritò ſit proſpiciendũ. Item ut gratiæ à menſa Archiepiſcopali, vel Epiſcopali, bene meritis tantùm dentur. Similiter Advocatiæ, ſeu ſcultetiæ, non pueris, ſed in ætate virili conſtitutis, concedantur; qui etiam ad obtinendum conſenſum Venerabilium Capitulorum ſeſe in Capitulis præſentare teneantur: & aliter conceſſæ gratiæ ſint invalidæ; neq; ultra duas advitalitates, mariti ſcilicet & uxoris, juxta MACIEIOVIANAM Conſtitutionem ſeſe extendant; & aliter conceſſæ, ipſo facto nullius ſint roboris vel momenti; neq; manſi ultra numerum in originalibus literis Advocatiarum expreſſi, augeantur, aut Cmetones addantur. A ſervitiis quoq; in originalibus literis Advocatiæ antiquitùs impoſitis, libertas & exemptio paſſim non concedatur. Haberi tamen poterit ratio Nobilium, & benè meritarum in Eccleſia, & Epiſcoporum obſequio, perſonarum. Sculteti

autem,

autem, qui braſeatoria habent, non poſſint in illis cerviſiam coquere, niſi pro ſuo ac ſuorum domeſticorum, vel ſubditorum, uſu tantùm; & ſinè præjudicio curiæ braſeatoriorum. Porrò locationes bonorum Eccleſiæ, licet ultra triennium fieri non poſſint; in caſibus tamen à jure permiſſis, bona eadem in Emphiteuſim ad longiùs tempus, prout de jure, locari poterunt, ſervatis juris ſolennitatibus, & conſenſu quorum intereſt, obtento.

De Reviſionibus bonorum menſæ Epiſcopalis.

OFficium Reviſionis bonorum Epiſcopalium, Capitula non intermittant: in quo quidem negotio, ad inſtar *cap: 12. Conſtit: Provincialium, lib: 5.* ſeſe gerant: Comitatu decenti utantur, neq; ordinationes aliquas faciant, ſed tantùm defectus, quærelas, angarias, & damna in bonis cognita, Capitulo & Epiſcopo referant, ut illi pro debito ſui Officii, remedia opportuna utilitati & integritati bonorum adhibeant.

De Regularibus.

INſuper monet & hortatur Synodus omnes Regulares, ad obſervantiam Sacrorum Canonum, præcipuè Clementinæ, *Religioſi de Privileg:* Necnon ad obſervantiam S. Concilii Trident: præcipuè *cap: 15. Seſſ: 23. de Reform:* & *cap: 12. Seſſ: 25. de Reform.* ac aliarum Conſtitutionum Apoſtolicarum.

VT Decretum GREGORII XV. de Conſervatoribūs in hac Synodo publicatum, ad executionem deducatur: nevè ejus ignorantiâ aliqui ſe excuſent, & uſus ejus uti ſaluberrimus, Provinciæ, innoteſcat, S. Synodus hîc inſerendum decrevit.

S.D.N.D. GREGORII,

Divinâ Providentiâ PP. XV.

Conſtitutio de Conſervatoribūs.

SAnctiſſimus in Chriſto Pater, & Dominus Noſter, D. GREGORIUS, Divina providentiâ Papa XV. ex certis rationabilibus cauſis, animum ſuum moventibus, & de Voto Venerabilium Fratrum ſuorum, S.R.E. Cardinalium, Concilii Tridentini Interpretum, partim fel: record: CLEMENTIS Papæ VIII. Prædeceſſoris ſui, veſtigiis inhærendo, revocavit, ac nullas & invalidas decrevit omnes & quaſcunque Iudicium Conservatorum Electiones, Nominationes, ſeu Deputationes, tam in vim literarum Conservatoriarum, juxta formam in quinterno Cancellariæ deſcriptam; quam in vim quorumcunq; Privilegiorum, perpetuò, vel ad tempus nondum elapſum, Apoſtolica authoritate conceſſurum, ſeu aliâs quocunq; jure vel titulo hactenus factas, pro quibuſcunq; Conventibus Capitulis, Militiis etiam S. Ioannis Hieroſolymitani, Congregationibus, Collegiis, Ordinibus, Monaſteriis, Hoſpitalibus, aut aliis quibusvis, piis tâm Sæcularibus, quàm cujusvis Ordinis etiam

nis etiam

nis etiam Mendicantium, seu instituti, vel Societatis, Regularibus locis, quantumvis exemptis, etiam de necessitate exprimendis; seu illorum personis, cujusvis qualitatis seu conditionis existant. In futurum verò Sanctitas Sua, hac Generali & perpetuò valitura Constitutione, statuit & decrevit; ut Iudices Conservatores hujusmodi, siue personales, sive subrogati, eligi, nominari, aut deputari non possint, nisi non solùm habeant qualitates requisitas, & descriptas in Constitutione similis record: BONIFACII Papæ VIII. etiam Prædecessoris sui, quæ incipit, Statutum; ita ut vel dignitate Ecclesiastica præditi, vel personatum obtinentes, vel Ecclesiarum Cathedralium Canonici existant; sed etiam in Conciliis Provincialibus, aut Diœcesanis, juxta Decretum Concilii prædicti, Iudices electi seu designati sint. Quodq; deinceps literæ Conservatoriæ per Sedem Apostolicam concedendæ, suprascriptis tantùm dirigantur: & si quæ literæ aliter expedientur, illæ, ac deputationes hujusmodi, omniaq; exinde sequenda, nullius sint roboris vel momenti. Et nihilominus qui secus, quàm juxta formam superius præscriptā Conservatores hujusmodi cum effectu eligere, nominare, seu deputare; aut electis, nominatis, seu deputatis, uti ausi fuerint Regulares quidem voce activa & passiva, sint ipso jure privati; adeò ut habilitationem à nemine, præterquam à Romano Pontifice, consequi valeant; Reliqui verò aliis pœnis arbitrio Sanctitatis Suæ coërceantur, & prædictorum omnium Conventus, Monasteria, ac loca hujusmodi, eorumq; personæ ac bona careant Conservatore ad Annum, ita ut illorum causæ interea coram Locorum Ordinariis duntaxat, cognosci ac definiri debeant. Cæterùm ut latiùs pateat Conser-

vatorum hujusmodi deligendorum facultas: Sanctitas Sua admonitos voluit omnes Locorum Ordinarios, ut in Synodis Provincialibus, aut Diœcesanis, quàm plures personas ex habentibus qualitates, in prædicta Constitutione ejusdem BONIFACII Prædecessoris contentas, & alioquin ad id aptas designari procurent: & si aliquem interim ex designatis mori contigerit, substituat Ordinarius loci, cum consilio Capituli, alium in ejus locum, usq; ad futuram Provincialem aut Diœcesanam Synodum. Insuper Sanctitas Sua inhærendo hac in parte Decreto, similis recordi: GREGORII Papæ XIII. etiam Prædecessoris sui, statuit & ordinavit; ut Regulares ac personæ hujusmodi, in Italia infra duos, extra Italiam verò infra sex Menses, â die publicationis in Urbe præsentis Constitutionis inchoandos, debeant sibi eligere seu assumere Conservatores juxta formam superiùs propositam, ejusq; electionis seu assumptionis documentum, infra tempus hujusmodi, penes Acta Curiæ Ordinariorum exhibere & dimittere teneantur: alioquin eo termino elapso quamdiu Conservatores secundùm formam præsentis Constitutionis non elegerint, coram eisdem Ordinariis conveniantur: quodq; Conservatores hujusmodi semel legitimè deputati, nisi ex legitima causa à Sede Apostolica, aut Locorum Ordinariis, prout iisdem Regularibus, & aliis supra dictis libuerit approbanda, durante quinquennio à die deputationis, amoveri, aut mutari nullatenus possint aut valeant. Ad hæc statuit Sanctitas Sua, ut coràm ipsis Conservatoribus, Regulares ac personæ suprascriptæ, conveniri, quidem aut trahi debeant, sed alios convenire aut trahere non possint; ita ut memorati Conservatores, in caussis in quibus Regulares & alii Actores fuerint,

rint,

rint, nullam prorsus jurisdictionem habeant, sed in iis tantùm, in quibus Rei extiterint; neq; extra Civitates seu Diœceses, in quibus fuerint deputati, contra quoscunq; procedere præsumant. Si quæ verò inter Iudices Conservatores hujusmodi, & Locorum Ordinarios, controversia super competentia Iurisdictionis orta fuerit; nequaquam in causa procedatur, donec per Arbitros in forma Iuris electos, super Iurisdictionis competentia fuerit judicatum. Quod si qui Conservatores, sive in hac parte, sive aliâs quomodolibet, suos limites excesserint, per annum ab officio Conservatoris hujusmodi suspensi sint: & pars quæ hoc fieri procuraverit, sententiam excommunicationis incurrat, juxta formam alterius Constitutionis ejusdem BONIFACII Prædecessoris, quæ incipit: Hac Constitutione. quam Sanctitas Sua in his omnibus, quæ præsenti Constitutioni non adversantur, innovavit, & innovat. Per hoc tamen non intendit Sanctitas Sua prohibere, quominùs Regulares, & alii supradicti, in casibus à jure præmissis, petant Iudicem non suspectum à Principibus seu Magistratibus Sæcularibus, dum tamen hæc tria copulativè concurrant: videlicet, ut Regulares, & alii prædicti, sint Actores, non autem Rei; utq; agant contra laicum, non autem contra Ecclesiasticum, vel aliâs à Iurisdictione Sæculari exemptum: atq; ut causa in qua Iudex deputatur, fuerit profana, non autem Ecclesiastica, & in ea juxta Sacrorum Canonum dispositionem, laicus ut præfertur, eligendus Iudex competens existat. Quæ omnia & singula in præsenti Constitutione contenta, Sanctitas Sua voluit inviolabiliter observari, decernens sic in iis cæterisq; omnibus præmissis, per quoscunq; &c: etiam Sacri Palatii Apostolici Auditores, necnon Sacræ Romanæ

Ecclesiæ

Ecclesiæ Cardinales, sublata, &c: judican: &c: necnon irritum & inane, &c: Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis,, ac literis Conservatoriis; quas omnes ad formam præsentis Constitutionis reduxit, in favorem quorumcunq; Ordinum, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium; Militiarum, etiam S. Ioannis Hierosolymitani, Congregationum, Societatum, aut cujusvis alterius Instituti, etiam necessariò exprimendi, Collegiorum, Capitulorum, Ecclesiarum, Monasteriorum, ac piorum quorumcunq;, tàm Secularium, quàm Regularium locorum; necnon illorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consvetudinibus etiam immemorabilibus, Privilegiis quoq; etiam ex càusa & titulo oneroso indultis, & literis Apostolicis etiam Mari magno, seu Bulla aurea, aut aliàs nuncupatis, sub quibuscunq; tenoribus & formis; ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisq; efficacioribus & insolitis clausulis: necnon irritantibus, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut aliâs quomodolibet etiam per viam communicationis seu extensionis, concessis, & iteratis vicibus approbatis & innovatis: etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumq; tenoribus & formis, specialis & individua, ac de verbo ad verbum, non autẽ per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma servanda esset; tenores hujusmodi, acsi de verbo ad verbum, nullo penitus omisso, & forma in illis tradita, observata., inserti forent, præsentibus pro expressis habens: quibus quoad ea quæ præsentibus adversantur, illis aliàs in suo robore permansuris, hac

vice

vice duntaxat, specialiter & expressè derogavit, cæterisq; contrariis quibuscunq;. Cæterùm ut præsens Constitutio faciliùs omnibus innotescat, Sanctitas Sua voluit & mandavit, ut non solùm in Cancellaria Apostolica, sed etiam ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe & in acie Campi Floræ publicetur; illiusq; exempla in iisdem locis affixa dimittantur, ac in Quinterno Cancellariæ inter Constitutiones perpetuas describatur, & annotetur.

Placet, publicetur, & describatur, A. Lecta & publicata fuit supradicta Constitutio in Cancellaria Apostolica, ab altero ex R. P. D. Majoris Præsidentiæ Abbreviatoribus, die vigesima mensis Septembris, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo, Sexcentesimo, Vigesimo primo. Pontificatûs verò prælibati SS. D. Nostri, D. GREGORII Papæ Decimiquinti, Anno Primo. Et postmodum die & anno supra dictis, in Quinterno ejusdem Cancellariæ, inter alias Constitutiones Apostolicas descripta, & annotata fuit.

Nicolaus Ursinus Procustos.

In Dei Nomine, Amen. Anno à Nativitate Domini nostri JESU Christi, Millesimo, Sexcentesimo, Vigesimo primo, Indictione quarta, die verò vigesima Septembris, Pontificatûs SS. in Christo Patris & Dñi Nostri, D. GREGORII, Divina providentia Papæ Decimiquinti, Pontificatus sui Anno Primo; retroscripta Constitutio Apostolica, affixa ac publicata fuit in valuis Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, & in acie Campi Floræ, per me Augustinum Braccherium, Apostolicum Cursorem.

Octavius Spada, Magister Cursorum.

Cæterùm

Cæterùm ipſi Conſervatores in ſingulis Diœceſibus nominentur ad præſcriptum dictæ Conſtitutionis GREGORII XV. prout quidem in Archidiœceſi Gneſnenſi nominati ſunt Rñdi Domini, Andreas Suldrſki Gneſneñ, Poſnanienſisq; Præpoſitus, S. Regiæ Majeſt: Secretarius. Petrus Grochowicki Archidiaconus; Petrus Odorovius J. U. D. Canonicus Vicarius in Spiritualibus, Officialis Generalis Gneſnenſis. Nicolaus Starzyńſki, Canonicus Gneſnenſis, & Præpoſitus Laſceñ, Mauritius Fredericius, J. U. D. Archidiac: Curzelovieñ. Joannes Lugowſki, J.U.D. Cancellarius Cruſvicieñ: & Canonicus Lovicieñ;

In Diœceſi Cracovienſi.

Rñdi Domini, Joannes Foxius Archidiac. Lucas Doctorius Canonicus Cracovieñ: Martinus Klocinſki Præpoſitus Corporis Chriſti Caſimiriæ; Joannes Kwaſnicki Præpoſitus Woynicieñ: Archidiac: Sandeceñ: J.U.D. qui in Synodo Diœceſana ultima Anni 1621. electi ſunt in Judices Synodales.

In Diœceſi Vladislavienſi & Pomeraniæ.

Jacobus Piaſecki Archidiaconus Wladiſlavieñ: Sebaſtianus Roſtkovius Archidiac: Pomeraniæ: Lucas Bratkowſki, & Sebaſtianus Grotkowſki, Cañci Vladiſlavieñ:

In Diœceſi Poſnanienſi.

Joannes Baykowſki Epiſcopus Ennenſis, Suffraganeus & Officialis Poſnanienſis. Staniſlaus Kokalewſki, Jacobus Doruchowſki Scholaſticus; Martinus Moiecki, S. T. Staniſlaus Zukowſki, J.U.DD. Canonici Poſnanieñ:

In Diœ:

In Diœcesi Płocensi.

Franciſcus Zaierſki J.U.D. Canonicus Płocenſis, Præpoſitus & Suffraganeus Luceorienſis. Paulus Biedkowſki Archidiaconus & Officialis Płocenſis. Sebaſtianus Poſnanienſis, J.U.D. Mathias Goliniowſki, Canonici Płocenſis.

Procuratores verò ſeu Nuncii aliorum Illuſtriſſ: & Reverendiſſ: DD. Epiſcoporum, id ipſis referent, ut ſic nominatorum in ſuis Diœceſibus, Illuſtriſſ: & Reverendiſſ: D. Archiepiſcopo, nomina & cognomina quamprimùm transmittant.

Similiter & Bullam ejuſdem GREGORII PP. XV. de Exemptorum Privilegiis, circa curam animarum, Synodus publicat, & hiſce addit; quæ talis eſt:

S.D.N.D. GREGORII PP. XV.
CONSTITUTIO,

De Exemptorum Privilegiis circa animarum curam, & Sacramentorum adminiſtrationem, Sanctimonialium Monaſteria, & prædicationem Verbi Dei.

GREGORIUS EPISCOPUS
Servus ſervorum Dei;

Ad perpetuam rei memoriam.

INſcrutabili Dei providentiâ, univerſalis Eccleſiæ regimini, meritis licet imparibus, præſidentes, Paſtoralis noſtræ ſollicitudinis partes eſſe dignoſcimus, in eam curam præcipuè incumbere, ut à dignis, & probatis tantùm Sacerdotibus ſan-

ctè administrentur Ecclesiastica Sacramenta; atque ut Virginum Deo sacrarum Monasteria diligentissimè custodiantur; & viri assumantur idonei ad prædicationis officium salubritèr exequendum. Sanè Tridentinæ Synodi decretis providè cautum est, nullum Presbyterum, etiam Regularem, posse Confessiones Secularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale beneficium habeat, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat. Necnon ut in Monasteriis, seu domibus virorum, seu mulierum, quibus imminet animarum cura, personarum Secularium, præter eas quæ sunt de illorum Monasteriorum, seu locorum familia personæ; tàm Regulares, quàm Seculares ejusmodi curam exercentes, subsint immediatè in iis, quæ ad dictam curam, & Sacramentorum administrationem pertinent, jurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcopi, in cujus Diœcesi sunt sita. Itemque ut Episcopi universi sub obtestatione Divini judicii, & interminatione maledictionis æternæ, in omnibus Monasteriis sibi subjectis Ordinariâ, in aliis verò Sedis Apostolicæ authoritate clausuram Sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter restitui, & ubi inviolata est, conservari maximè procurent, in obedientes atq; contradictores, per censuras Ecclesiasticas, aliasq; pœnas, quacunq; appellatione postpositâ, compescentes. Atque ut Regulares in Ecclesiis suorum Ordinū prædicare volentes, se coram Episcopis præsentare, & ab eis benedictionem petere teneantur, in Ecclesiis verò, quæ suorum Ordinum non sunt, nullo modo prædicare possint sine Episcopi licentia: contradicente autem Episcopo, nulli, etiam in suorum Ordinum Ecclesiis, prædicare præsumant. Verùm quia experientia compertum est, Ecclesiastici regiminis rationes postulare, ut decretis ejusmodi aliquid adjungatur; matura deliberatione nostra, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, hac generali ac perpetuo valitura Constitutione decernimus, statuimus, & declaramus, ut deinceps tàm Regulares, quàm Sæculares quomodolibet exempti, sive

animarum

animarum curam personarum Sæcularium Monasteriis, seu domibus Regularibus, aut quibusvis aliis Ecclesiis, vel beneficiis, sive Regularibus, sivè Secularibus incumbentem exerceant sivè alâs Ecclesiastica Sacramenta, aut unum ex illis ministrent, prævia Episcopi licentia, & approbatione; sive quoquomodo indictæ curæ exercitio, aut in eorumdem Sacramentorum, vel alicujus ex illis administratione de facto absq; ulla authoritate se ingerant: in his, quæ ejusmodi curam, seu administrationem concernunt, omnimodæ jurisdictioni, visitationi, & correctioni Diœcesani Episcopi, tanquàm Sedis Apostolicæ delegati, plenè in omnibus subijciantur. Ad hæc tàm Regulares, quàm Sæculares hujusmodi, nullis privilegiis, aut exemptionibus tueri se possint, quominus, si deliquerint circa personas intrà septa degentes, aut circa clausuram, vel circa bonorum administrationem Monasteriorum Monialium, etiam Regularibus subjectarum, ab Episcopo loci, similiter tanquam ad hoc Sedis Apostolicæ delegato, quoties, & quando opus fuerit, puniri, & corrigi valeant. Confessores verò, sivè Regulares, sivè Sæculares, quomodocunque exempti, tàm Ordinarii, quàm extraordinarii, ad Confessiones Monialium, etiam Regularibus subjectarum, audiendas nullatenus deputari valeant, nisi priùs ab Episcopo Diœcesano idonei judicentur, & approbationem, quæ gratis concedatur, obtineant Sed & Administrantes bona ad ejusmodi Monasteria Sanctimonialium, ut præfertur, etiam Regularibus subjectarum, pertinentia, sivè Regulares extiterint, sivè Sæculares, quomodolibet exempti; Episcopo loci, adhibitis etiam Superioribus Regularibus, singulis annis rationes administrationis, gratis tamen exigendas, reddere teneantur, ad idq; juris remediis cogi, & compelli queant. Liceatq; Episcopo, ex rationabili causa Superiores Regulares admonere, ut ejusmodi Confessores, atque Administratores amoveant: iisque Superioribus id facere detrectantibus, aut negligentibus, habeat Episcopus facultatem, prædictos Confessores, & Administratores amovendi, quoties & quando opus esse judicaverit. Ac similiter possit Episcopus, unà cum Superioribus Regulari-

bus, quarumcunque Abbatissarum, Priorissarum, Præfectarum, vel Præpositarum, eorumdem Monasteriorum, quocunque nomine appellentur, electionibus per se, vel per alium interesse, ac præsidere; absq; ulla tamen ipsorum Monasteriorum impensa. Ac demum habeat Episcopus, tanquàm dictæ Sedis delegatus, authoritatem coërcendi, ac puniendi quoscunque exemptos, tàm Sæculares, quam Regulares, qui in alienis Ecclesiis, aut quæ suorum Ordinum non sunt, absque Episcopi licentia; & in Ecclesiis suis, aut suorum Ordinum, non petita illius benedictione, aut ipso contradicente, prædicare præsumpserint. Ita ut Episcopi, in suprascriptis casibus, & in prænominatas personas, in præmissis omnibus & singulis, aut circa ea quoquo modo delinquentes, quoties & quando opus fuerit, etiam extra visitationem, per censuras Ecclesiasticas, aliasq; pœnas, uti ejusdem Sedis delegati, procedere, omnemq; jurisdictionem exercere liberè, & licitè valeant. Decernentes sic per quoscunq; Judices, quavis auctoritate fungentes, etiam Sacri Palatii Auditores, necnon Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi vel interpretandi facultate, & authoritate, judicari & definiri debere; Irritum quoque & inane, si secus super his à quoquam quavis authoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis in favorem quarumcunque personarum; atq; Regularium Mendicantium, quàm non Mendicantium, Militiarum etiam Sancti Joannis Hierosolimitani, Congregationum, Societatum, ac cujusvis alterius instituti, etiam necessario, & individuo exprimendi, Monasteriorum, Conventuum, Capitulorum, Ecclesiarum, & aliorum quorumcunque, tàm Sæcularium, quam Regularium locorum, necnon illorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, vel Consvetudinibus, etiam immemorabilibus; exemptionibus quoque, indultis, & privilegiis, etiam in corpore juris clausis, aut ex causa, & titulo oneroso, vel limine fundationis concessis, etiam Mari Magno, seu Bulla aurea, aut aliàs

nunc

nuncupatis; Conservatorum deputationibus, eorumque, atque aliis inhibitionibus, quibus Episcopi deferre minimè teneantur, & quibusvis aliis, sub quibuscunq; tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus decretis, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis, seù extensionis concessis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis; etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus & formis, specialis & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma servanda esset; tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, inserti forent, præsentibus pro expressis habentes, quibus quo ad ea, quæ eisdem præsentibus adversantur, illis aliàs in suo robore permansuris, specialiter & expressè derogamus; cæterisq; contrariis quibuscunque. Cæterùm quia difficilè foret præsentes literas ad singula quæque loca deferri: ut eæ tamen omnibus innotescant, mandamus illas ad valuas Lateraneñ: & Principis Apostolorum de Urbe Basilicarum, atque Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ publicari, & inibi affigi, & per aliquot temporis spatium dimitti, eisq; detractis, earum exempla eo in loco relinqui. Ac volumus, ut earumdem præsentium literarum transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & Sigillo Prælati, seu Personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, in judicio, & extra illud, ubi opus fuerit, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis originalibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostrorum Statui, declarationis, decretorum derogationis, mandati, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contra ire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis DEI, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Romæ apud

mæ apud

mæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, M. DC. XXII. Nonis Februarii. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

V. Dat.

S. de Ursinis.

Registrata in Secretaria Brevium.

In Nomine Domini Amen. Anno à Nativitate Domini nostri JESU Christi, M.DC.XXII. Indictione sexta, die verò octava Mensis Februarii, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri D. Gregorii Divina providentia Papæ XV. Anno secundo retroscriptæ literæ Apostolicæ, affixæ & publicatæ fuerunt ad Valvas Basilicarum Sancti Joannis Lateranen: Principis Apostolorum de Urbe, ac Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, dimissis ibidem earundem literarum originalibus appensis per aliquot temporis spatium, & exinde remotis, deinde dimissis earumdem literarum copiis affixis, ut moris est, per nos Cosmum Modium, & Alexandrum de Rocchis, Sanctissimi D. Nostri Papæ Cursores.

Octavius Spada Magister Cursorum.

Declarationes aliquot S. Congr: Concilii,

Super Constitutione S. D. N.

D. GREGORII PP. XV.

De Exemptorum Privilegiis, &c:

POsita Constitutione Sanctissimi Domini Nostri, de Exemptorum Privilegiis, &c: Dubitatur.

Primò: An liceat Episcopus visitare Altaria Re-

gulari-

gularium Ecclesiarum, quibus cura animarum personalium Secularium non incumbit; aut loca, ubi in iisdem Ecclesiis asservatur Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum; vel ubi audiuntur Confessiones personarum Secularium?

Secundò: An Episcopi possint Regularibus præscribere, ut certis tantùm in locis, ac temporibus, aut certarum personarum Confessiones audiant; vel aliàs illorum Privilegia restringere, ac moderari in Sacramentis administrandis?

Tertiò: An facultas Episcopis per Constitutionem attributa in Exemptos, tàm Seculares, quàm Regulares, intelligatur etiam tributa in personas nullius Diœcesis?

Quartò: An eadem facultas competat inferioribus Prælatis proprium territorium, ac jurisdictionem quasi Episcopalem habentibus?

Ultimò: An per eandem Constitutionem, in illis verbis: Possit Episcopus una cum Superioribus Regularibus quarumcunque Abbatissarum, &c: electionibus per se, vel per alium interesse, ac præsidere; *jus Abbatissas confirmandi, Episcopis attributum censeatur?*

Sacra

SAcra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum, censuit, Constitutionem Sanctissimi Domini Nostri, de Exemptorum Privilegiis, nequaquam subijcere Regulares Exemptos, quibus cura animarum personarum Secularium non incumbit, Episcoporum jurisdictioni in his quæ Sacramentorum administrationem concernunt, nisi cùm in Sacramentis, personis Secularibus administrandis, ijdem Regulares delinqvunt. Ac propterea.

Ad primum dubium respondit; Episcopis non licere in vim ejusdem Constitutionis visitare Altaria Ecclesiarum Regularium, quibus non incumbit animarum cura personarum Secularium; nec loca, ubi in ijsdem Ecclesiis asservatur Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum; vel ubi Confessiones personarum Secularium audiuntur.

Ad secundum: hac in parte Constitutionem Sanctissimi nihil novi juris induxisse, nec ullam novam authoritatem Episcopis in Regulares attribuisse; Ideoq; in vim ipsius Constitutionis non posse Episcopos Regularibus præscribere, ut certis tantùm in locis ac temporibus, aut certarum personarum Confessiones audiant; vel aliàs illorum Privilegia in Sacramentis administrandis restringere, aut moderari.

Ad

Ad tertium, censuit, ejusmodi facultatem non intelligi tributam Episcopis in personas nullius Diœcesis.

Ad quartum, non competere.

Ad ultimum; Jus confirmandi Abbatissas, minimè fuisse Episcopis per Constitutionem attributum.

Quæ cum Sanctissimo Domino Nostro relata fuissent, ejus Sanctitas Sacræ Congregationis sententiam in omnibus approbavit.

R. Card: Ubaldinus.

Prosper Fagnanus S. Congr: Secret:

De Examine ad Parochiales.

MOnentur, authoritate præsentis Synodi, Illustrissimi & Reverendiss: DD. Episcopi, ut Decretum S. Concilii Trid: *Sess: 24. c. 18.* de Ecclesiis Parochialibus; per concursum & examen conferendis, observent.

De Officio Patronorum.

AD Officium Patronorum Regni, die 10. Mensis Octobris, pro Gratiarum actione Domino Deo, pro Victoria ex Imperatore Turcarum Osmano obtenta, conscribendum; Deputantur authoritate Synodi, Reveren-

di DD. Joannes Foxius Archidiac: Cracovień: & Sebastianus Nucerinus, S. T. D. Canonicus Scarbimiriensis: qui Officium illud conscriptum, Illustriss: & Reverendiss: D. Archiepiscopo transmittent; cujus authoritate edatur, & in tota Provincia cum approbatione S. Sedis Apostolicæ observetur.

De Festo Sancti Joseph.

CVm Officium S. Joseph, Sponsi Beatiss: Virginis, pro die 19. mensis Martii Festo, à GREGORIO XV. fæl: record: sit institutū: Statuit Synodus, ut eum diem Sponsi Beatiss: Virginis festum celebrent, ad præscriptum Brevis ejusdem GREGORII XV.

De Confraternitate S, Angeli Custodis.

VT Devotio erga Sanctos Angelos Custodes, quos omni honore & reverentia prosequi debemus, in dies augeatur; Confraternitatem à S.D.N. PAULO PP. V. fæl: record: in honorem ejusdem Angeli Custodis, & Festum Dominica prima post S. Michaëlis institutum, Synodus publicari & observari hortatur.

De Synodis, & absentibus à Synodo.

DEcretum SS. Concilii Trid: de Conciliis Provincialibus, singulis trienniis, nisi legitima causa impediat, celebrandis, præsens Synodus innovat, serioq; præcipit & mandat: ut omnes, qui de jure v consvetudine Synodis

Provin-

Provincialibus intereſſe debent, ad eaſdem venire non negligant. Et quia nonnulli ex Reverendiſſ: DD. Epiſcopis, utpotè Illuſtriſſ: & Reverendiſſ: D. Archiepiſcopus Leopolienſis, Illuſtriſſ: D. Epiſcopus Cracovieñ: Vilnenſis, Samogitiæ, Culmenſis, Kijovienſis, Epiſcopi; cauſas abſentiæ ſuæ Synodo expoſuerunt & probaverunt; Synodus eaſdem probavit. Alii autem Illuſtriſſ: DD. Epiſcopi, licet cauſas abſentiæ ſuæ dederint; tamen cùm eæ minùs juſtæ & legitimæ viſæ ſint, pœnas SS. Canonum, & Conſtitutionum Provincialium, eo ipſo promeritos eſſe, Synodus judicavit. Benigniùs tamen cùm illis Illuſtriſſ: D. Archiepiſcopus in hac ſua prima Synodo agens, pœnas haſce illis, Synodali conſenſu, indulget. Cæterùm ipſi pro ſua conſcientia & pietate conſiderent, ne in poſterum Sacrorũ Canonum inſtituta ita facilè negligant; ſciantq; in proxima futura, Deo dante, Synodo, pœnas contra abſentes in jure ſancitas, quæ graves ſunt, ſine ulla ſpe indulgentiæ, decernendas.

De Canonizationibus Sanctorum.

MAgna animorum jucunditate, & cum debitâ Domino Deo gratiarum actione, Synodus præſens accepit & intellexit, inſignia & illuſtria miracula, quæ in dies Divina miſericordia & providentia, ad declarandam ſervorũ ſuorum Beatorum, CANTII Profeſſoris quondam Univerſitatis Cracovienſis, STANISLAI KOSTKA Societatis JESU, CUNEGUNDIS Reginæ Poloniæ, SALOMEÆ,

& JOSAPHAT Episcopi, ante aliquot Annos à Schismaticis pro Religione Catholica interempti, Patronorum Regni hujus, vitæ sanctitate operatur. Quocirca, cum in tantis Regni hujus periculis, Synodus præsens, secundùm Dei misericordiam, magnam in Sanctorum Patronorum patrocinio & tutela spem collocet, humillimè supplicat S.D.Nostro; ut quos Deus ipse tantoperè honorare dignatur, eosdem Sancta Sedes in Sanctorum numerum referre velit.

De Academia Crac. & Patribus Societ: Jesu.

QUia nuper lis de jure legendi sive docendi, Cracoviæ inter Academiam & Patres Societ: JEsu exorta, ad judicium S. Sedis Apostolicæ est devoluta; monet & hortatur Synodus, ne utrinq; scripta aliqua, quæ occasionem scandali Christi fidelibus præbere possent, edantur, aut imprimantur; sed utraq; pars sententiam & decisionem judicii S. Sedis Apostolicæ, cujus supremæ authoritati omnes deferre debemus, expectet: illiq; uti debet, pareat & obsequatur.

De Libris Ecclesiasticis imprimendis.

ANimadvertens Synodus, in tota Provincia magnam Librorum Ecclesiasticorum penuriam, eosq; qui supersunt, vetustate esse consumptos; dat facultatem Excellenti Andreæ Petricovio, J.U.D. Typographo Cracoviensi, *Antyphonarium, Graduale, Rituale*, sive *Agendorum*,

& *Con-*

& *Constitutionum* Provincialium Libros, postquam juxta decretum S. Synodi recogniti fuerint, imprimendi, & pro usibus Ecclesiarum justo precio vendendi concedit: præcipiens, ne quispiam alius Typographus Regni, & Magni Ducatus Lithvaniæ, quocunq; prætextu, eosdem libros typis imprimere, aut in præjudicium ejusdem, præfatos libros recudere, aut alibi recussos in Provinciis Regni Poloniæ vendere præsumat ad triennium, sub pœna excommunicationis, & in subsidium quadringentorum aureorũ, cæterisq; pœnis arbitrio Illustriss: & Reverendiss: D. Archiepiscopi irrogandis; præsertim cùm eosdem libros sumptu proprio se editurum idem Typographus offerat, & polliceatur.

De Ministris Hæreticorum.

QUia relatum est Synodo præsenti, ex vicinis Provinciis, multos Hæreticorum Ministros, homines vagos & extraneos in Regnum hoc confluere: ideò præsens Synodus pro officii sui debito, fidei Catholicæ integritati consulendo, monet DD. Ordinarios, ut unusquisq; in sua Diœcesi provideat & occurrat, ne hæreses latiùs serpent, & oves sibi commissæ hac labe inficiantur. Et insuper per suos Nuncios, supplicabit Synodus Suæ Majestati in proximis Comitiis, ut pro sua pietate provideat, ne blasphemiis & impietate hæresum, ira Dei magis in Patriam nostram provocetur.

De De

QUia plerumq; Prælati & Canonici Ecclesiarum Cathedralium, onus deputationis Judiciorum Tribunalis Regni recusant & subterfugiunt: statuit Synodus, ut quod hactenus in nonnullis Ecclesiis servatum est, in omnibus in posterum servetur; ut nimirum in defectu Prælatorum, vel Canonicorum Cathedralium, Abbates ejusdem Dioecesis, sive soli, sive cum adjuncto Prælato, vel Canonico Ecclesiæ Cathedralis, in Deputatum Tribunalis eligi possint. Præterea ut in posterum ex Ecclesia Chelmensi Deputatus eligatur; ea tamen lege, ut ad minimum in Tribunali Lublinensi residere teneatur, sub pœna amissionis ejusdem privilegii & concessionis. Et quia de negligentia & absentia Deputatorum Spiritualium, non solum Clerus, sed etiam Seculares conqueruntur sæpè, causæque compositi judicii, cum magno damno & injuria hominum, intermittuntur; Synodus præsens innovat Constitutionem GEMBICIANAM, ut juramentum de diligenti & continua residentia in Tribunali, Deputati in Capitulis præstent, illudq; observent. Si verò negligentes vel absentes à Judiciis Tribunalis fuerint, ultra pœnas Constitutionis MACIEIOVIANÆ, hanc quoque adjungit, ut pro rata temporis absentiæ vel negligentiæ, Refectionibus careant: quod quidem intelligi debet, ut etiamsi ad Cathedralem redeat, & in ea resideat, Refectionibus tamen carere debet totius illius temporis, quo in Tribunali residere debuit.

De Nun-

De Nuncio ad Sanctam Sedem Apoſtolicam mittendo.

AD petendam, obtinendamq; à S. D. Noſtro, præſentis Synodi confirmationem, nonnullasque alias gratias ejusdem S.D.N. pro uſu & neceſſitate Provinciæ, deſignatur Admodum Rñdus D. Joannes Foxius, J.U.D. Archidiac: Cracovieñ:

Acta, lecta, publicata. Anno, die, Menſe, ut ſupra.

Ioannes Wężyk, Archiepiſcopus Gneſnenſis. m.p.
Andreas Lipſki à Lipe, Epiſc: Vladisl: & Pomer: mp.
Matthias Łubińſki, Epiſcopus Poſnanien: m. p.
Stanislaus Łubińſki, Epiſcopus Plocenſis. m.p.
Otto Schenking, Epiſcopus Vendenſis. m. p.

Venceſl: Cienarovius, J.U.D. S. author. Apoſt. Actorumq; Curiæ Illuſtriſſ. & Rndis: D. Archiep: Gneſnen: ſupraſcripti, ac Synodi præſentis Notarius.

Approbatio.

NOs ROBERTUS tit: S. Alexii, S.R.E. Præsbyter Cardinalis Ubaldinus, nomine Sacræ Congregationis Cardinalium Conc: Trident: Decretis interpretandis Præpositorum, fidem facimus & attestamur, Decreta Synodi Provincialis Gnesnensis, hoc libello chartarum triginta sex, quarum prima incipit; *Acta & Constitutiones Synodi Provinciæ Gnesnensis:* ultima verò desinit; *D. Archiepiscopi Gnesnensis supradicti, & Synodi præsentis Notarius;* Confuisse ut supra ab eadem Sacra Congregatione Concilii emendata, recognita, atque approbata; eorundemque Decretorum Originale apud eandem Sacram Congregationem remansisse. In quorum fidem his propria manu subscripsimus, & ab infrascripto Secretario ejusdem Sacræ Congregat: subscribi, Sigilliq; nostri impressione communiri madavimus.
Dat: Romæ die XVIII. Novembr: 1628.

R. Card: Ubaldinus.

Franciscus Paulucs S. Congr: Secr:

SERMO

SERMO

Illustrißimi & Reverendißimi D. ARCHIEPISCOPI,

In Synodo Petricoviensi habitus.

FEcisset Deus immortalis, Illmi Dni, vosq; Consacerdotes charissimi, ut in præsenti Ordinis Ecclesiastici Conventu, sicut mutuo fruimur & lætamur aspectu; ita vicissim frui & lætari liceret Ecclesiæ Dei & Patriæ, quiete & tranquillitate. Verùm quia propter peccata nostra, Ecclesiæ statum afflictum, Patriam oppressam amaritudine videmus: non solùm nullus lætitiæ locus superest, verum etiam pro ea, quam Ecclesiæ & Patriæ optimis parentibus debemus, pietate & charitate, fieri non potest, ut in tanta utriusq; acerbitate, lachrymas teneamus: cùm præsertim in hoc Divinæ iracundiæ tempore, & in hoc Episcoporum & Sacerdotum Concilio, nihil magis deceat Sacerdotes & Ministros Dni, quàm inter vestibulum & altare plorare, ut parcat Dominus populo suo: & ne det hæreditatem suam in opprobrium. Deinde verò cùm ex veteri Sacrorum Canonum instituto, is Synodorum & Conciliorum scopus esse debeat, ut secundùm Dei lau-

dem, & Religionis Catholicæ conservationem, Cleri, populiq; vita & mores emendentur: erit muneris nostri, ut quam peccatis nostris Dei iracundiam provocavimus, eam dignis pænitentiæ fructibus placare studeamus. Porrò cùm ex veteri Concilii hujus consvetudine ad me omnium indignissimum pertineat, ut ad Dei laudem & Ecclesiæ commodum aliquid in medium proferam, non alienum à dignitate Concilii me facturum existimò, si de causis contemptus Ordinis Ecclesiastici, quem in dies ingravescere videmus, quàm brevissimè dixero. Quæ licet à vobis omnibus meliùs intelligi existimem: tamen cùm ea sit Dei benignitas, ut plerumq; rudibus & imperitis ea dicenda suggerat, quæ audita etiam sapientibus prosint, erit humanitatis Vestræ brevem hunc sermonem benignè accipere. Non sine causa factum est, Illmi Dni & Consacerdotes charissimi, quod Paulus Apostolus, vas electionis, & Doctor gentium, charissimos filios & discipulos suos Titum & Timotheum in munere pastorali instruens, tàm diligenter hortetur, & moneat; viderint, nequis ipsos contemnat. Nisi enim id in illorum esset potestate, efficere ne contemnantur, frustra id ipsis præciperet; & nisi magnopere ad religionis & Ecclesiæ Catholicæ commodum pertineret, ne Pastores & Sacerdotes con-

temptui

temptui habeantur, non tam necessariò id ab ipsis requireret. Et negari quidem non potest, fuisse olim, & nunc esse, tantam hominum improbitatem, ut viros bonos gratis odio persequantur, & contemnant. A sæculo enim auditum non est, ut virtuti cum vitio, pietati cum impietate conveniret; ab ipsa mundi origine Cain impius Abel justum persequitur. Et Christus Deus & Dominus noster graviter reprehendit Synagogam, quòd nullus fuisset Prophetarũ, quem persecuta non fuisset; idemq́; cùm salutem nostram operaretur, contemni & despici voluit, eaq́; conditione Apostolos, & omnes piè viventes in hoc sæculo esse voluit, ut improborum odium & contemptum sustinerent. Non ea ergo mens fuit Apostoli, ut Timotheum & Titum hortaretur, vel moneret: ut pro Dei gloria, pro religione Catholica, contemptum fugerent vel declinarent: cùm ea demũm sit vera Christiani hominis gloria, & vera laus pro nomine Christi despici, & in Christo crucifixo gloriari. Illud, illud est, quod Apostolus à discipulis suis voluit, ut ita viverent, ita vocationi officioq́; Pastorali attenderent, ut nemo esset, qui ipsos contemnere auderet: ut ij, qui ex adverso Ecclesiæ & fidei fuerant, vitam Titi & Timothei intuentes, vererentur malum quidquam dicere de ipsis, & uti de illo

Ethnico sapiente scriptum est: Cujus ob os Graij ora obvertebant sua. Habet enim hoc virtus, ut etiam in hoste posita delectet. Praeclarum sanè & singulare illud est, quod in libro secundo Machabaeorum scriptum legimus:) Cùm sancta Civitas in omni pace habitaretur, leges etiam adhuc optimè custodirentur, propter Oniae Pontificis pietatem, & animos odio habentes mala, fiebat, ut ipsi Reges & Principes locum summo honore dignum ducerent, & templum maximis muneribus illustrarent: ita ut Seleucus Asiae Rex de reditibus suis praestaret omnes sumptus ad ministerium sacrificiorum pertinentes.) Credo ego pluribus verbis Scripturam sacram, sivè potiùs Spiritum sanctum qui locutus est in Scripturis, ea commemorâsse, ut significaret, quantum momenti adferat, ad honorem & venerationem Ecclesiarum, & Ordinis sacri, vita sine reprehensione Pontificum & Sacerdotum. Si enim vitae integritas, morum gravitas, praestantia doctrinae, severitas disciplinae, legum & Canonum observantiae, honorabiles efficit ministros Dei & Sacerdotes: certè consequens est, ut his contraria, vitae improbitas, morum levitas, legum & disciplinae contemptus, eos, in contemptum adducat. Quid enim justius, quàm ut ab hominibus honoretur, qui Deo

debitum

debitum honorem exhibet? uti viciſſim qui vitâ ſuâ blaſphemari Nomen Dei faciunt, viles ac contempti habeantur, ſtetq́; Divini decreti oraculum: Qui me glorificaverit, glorificabo eum: qui autem me contemnunt, erunt ignobiles. *Non itaq́; curâ vel copiâ rerum externarum: ſed vitæ integritate, doctrinâ, & vigilantiâ Paſtorali, dignitas Pontificis, vel Sacerdotis comparatur & retinetur. His artibus & præſidiis Sanctiſſimi Majores noſtri Divi* ADALBERTUS & STANISLAUS, *& noſtrâ ætate, Karnkovius, Radzivilus, Rozdrażevius, ut alios omittam, Epiſcopalem & Ordinis Eccleſiaſtici dignitatem retinebant, & tuebantur. Neq́; ulla alia ratio excogitari vel reperiri poterit retinendæ vel expediendæ dignitatis Ordinis noſtri, quàm ut nobis ipſis, & gregi noſtro, in quo nos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos, attendamus; ita in hac ſpecula Eccleſiæ Dei conſtituti vigilemus, ut doctrinæ & dignitati noſtræ vita teſtimonium perhibeat: & ut paucis omnia complectar; vita noſtra jubeat, lingva perſvadeat. Præclarè enim D. Bernardus: Monſtruoſam rem eſſe, ait, gradum ſummum; animum infimum, ſedem primam, vitam imam; ut cætera omittam. Sit ergo, quæſo, ante oculos cordis noſtri, ſupremus illæ vitæ dies, in quo cùm*

omnium

omnium, quæ unquam fecimus vel cogitavimus, tum verò animarum nobis creditarum, strictissima ratio reddenda erit. Sint ante oculos illi ipsi, qui paucis ante annis in superiori Synodo, in hoc ipso loco, & Templo, nobiscum eadem de Ecclesia consilia capiebant, qui nos ad beatam, uti speramus, vitam præcesserunt; ex quibus vix aliquot superstites relicti sumus, non tam Dignitatum, quàm laborum & onerum successores: tantarumq; Patriæ calamitatum & annorum, quibus videmus mala, spectatores. Sed ut inde sermo iste redeat, unde initium sumpsit: eò studia, eò consilia nostra, in præsenti Synodo convertamus, ut in charitate fraterna Dei laudem, religionis Catholicæ commodum inprimis spectemus; deinde verò nostræ, populiq; nobis commissi, vitæ emendationi studeamus, spem in Domino Deo nostro, qui dives est in misericordia, habentes, ut si in toto corde ad ipsum conversi fuerimus, ipsum pugnaturum pro nobis, ipsum ad nihilum redacturum inimicos nostros, ac concessurum, ut reliqvum, quod superest ætatis, in sanctitate & justitia transigamus, ac tandem in illo supremo vitæ nostræ momento, Princeps Pastorum Christus Deus & Dominus noster, reddat nobis coronam immarcescibilem.

ORA-



ORATIO

A. R. D. JOANNIS FOXII, *Archidiaconi Crac:*

In eadem Synodo habita.

CUm Vestrum hunc augustum consessum intueor, ILLUSTR: ac REVER: ARCHIPRÆSUL, REVERENDIS: ANTISTITES PATRES, & FRATRES VENERANDI; videre mihi videor Duces populi, Principes militiæ Christi, Architectos quosdam Spirituales, illis verbis recensitos: Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios Evangelistas: alios autem Pastores & Do- Ephes: 4.
ctores, ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem Corporis Christi. Vos sanè estis, qui in Apostolorum loca successistis. Vos item cæteri, adsciti in opus ministerii, in ædifictiaonem Corporis Christi.

At quænam sit ista fabrica Spiritualis; quæ materia, ex qua Christi Corpus ædificari, & consummatio Sanctorum effici debeat: operæ pretium est, vel inprimis, cognoscere. Neq; verò ego tantum mihi tribuo, ut eam rem vel animo concipere, vel verbis exprimere valeam; sed ipsum qui hæc verba protulit, qui se Spiritum Dei habere affirmavit, ipsũ inquam Magistrum, alio loco, & fundamentum, & materiam ac ordinem ædificiorum adferentem, audite.

Ut sapiens architectus fundamentum posui: Fundamentum autẽ aliud nemo ponere potest præter hoc, quod 1. Cor: 3.
positum est, quod est Christus JESUS. Unusquisq; autẽ videat, quomodo superædificet. Si quis autẽ ædificaverit supra fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos; ligna, fænum, stipulam, uniuscujusq; opus manifestũ erit. Et uniuscujusq; opus, quale sit, ignis probabit. Si cujus opus manserit; quod superædificavit, mercedem accipiet: si cujus

si cujus opus arserit, detrimentum patietur. Doctrinam
Aug. in hanc Apostoli, sublimem à Sancto Augustino inter illa de-
quæst. putatam, quæ in Divi Pauli Epistolis difficilia esse intelle-
ad Dul- ctu Princeps Apostolorum censuit; & loco huic celebri,
ce. q. 1. & tempori calamitoso, valdè accomodatam esse existimo. Cùm enim ignis diu latens callidi hostis exarserit, & carbones inferni in perniciem Ecclesiæ succensi sint ab eo: summoperè necessarium est, talia à nobis inprimis ædificia construi, & in hac prima, quod Deus secundet, Novi Primatis Synodo, legibus firmari, quæ & iram Dei placare, & inimici sævientis impetũ possint evadere: in quibus ex hac Apostoli sententiâ in medium adferendis meus sermo versabitur; qui Vestra voluntate susceptus, Vestro quæso, favore & benevolentiâ, inprimis autem Dei ope adjutus, ad ipsius gloriam decurret.

Illud autem inprimis præfari volo hac reconditâ doctrinâ non solùm Episcopos, sed etiam ipsorũ administros Presbyteros, voluisse Doctorem gentium erudire: quod satis illa verba ostendunt; unusquisq; videat, quomodo super
1. Tim. ædificet: Dei enim adjutores sumus. Ita sanè, idem Aposto-
3. lus, illas benè vivendi formulas, quas Præsulibus præscripsit, ad Sacerdotes etiam, quibus nulla alia præscripta dedit referri voluit: quod in toto orationis meæ cursu, quæso, memineritis; ut quæ de Antistitum munere dicentur, Sacerdotalis quoq; officii esse censeantur; & quæ Sacerdotum sunt munia, ab illis Antistites non eximantur.

In duos itaq; ordines, tota series ædificii Ecclesiastici distribuitur; Bonum enim Ecclesiæ, Ministri ejus, quos Apostolus adjutores Dei appellat, bifariam promovent. Alii sanctitate, doctrinâ, & justitiâ coram Deo; quod ædificium auro, argento, & lapidibus pretiosis exprimitur. Alii divitiarum splendore, & temporalium rerum incrementis coram hominibus, quæ structura prioris comparatione, lignea, fænea, & staminea censetur. De utriusq; structuris: ac primò de istis magnificis, tũ de vilioribus, dicere instituti,

Primmu

Primum locum in hoc Spirituali ædificio vendicat ſibi aurum. Qui autem ſunt illi, qui aurea in Eccleſia Dei fabricant ædificia? Illi certè, qui geminâ charitate, quæ perfectionis vinculum eſt, inflammati, ardens quoddam deſiderium, ſeu zelum honoris divini & ſalutis hominum in corde gerunt. Col: 2.

Ac cùm multa ſint, quæ de zelo ad regimen animarum utiliſſimo dici poſſunt: mihi quidem vel commendationem ejus, vel neceſſitatem attigiſſe ſuffecerit. Nullum equidem majus ſacrificium offerri Deo poteſt, zelo animarum; uti D. aſſerit Gregorius: Hoc opus non humanum, ſed ſupra naturæ ordinem, ideoq; divinum cenſetur, cooperari Deo in ſalute animarum. Qu d ita? Quia Domini eſt ſalus. Qui ergo ad dandam ſalutem, Dei adjutores ſunt, uti certè omnes nos ſumus, divinum planè opus agunt. Quantum enim eſſet cooperari Deo in molitione Cæli & terræ? atqui hoc multò majus eſt. Audite quid hac de re aureum illud os D. Chryſoſtomi eloquitur, cùm inducit Deum loquentem: Feci ego Cælum & terram, eadem conditionis facilitate te dono; ut terram, facias Cælum. Accendi ego luminaria, accende tu clariora illis: namq; potes his qui in errore ſunt, lumen veritatis accendere. Majus iſtud beneficium eſt, quàm ſolem intueri. Hominem creare non vales! at juſtum gratumq; Deo potes efficere. Ego ſubſtantiam feci: tu exorna voluntatem. Vide quàm te diligam, qui majora tibi perficiendi poteſtatem tribuam. Ita egregiè Chryſoſtomus: Verum, num horum aliquid ſine hoc ſancto animi fervore præſtare quis poterit? Minimè gentium. Sicut enim ex terræ metallo, ſine ignis calore aurum conflari non poteſt: ita & multò magis, ut ex terra fiat Cælū, ut terreni homines efficiantur Cæleſtes, certè vel inprimis ignis iſte, ſeu zelus efficiet. Accendere autem lumen veræ & vivæ fidei quomodo quis poterit, niſi ipſe priùs ardeat? Si enim nihil accendit, niſi ignis: ita & tu profectò non accendes, niſi ipſe priùs hoc ſancto igne exarſeris. Deniq; auferre ſordes peccati, ac animam

Hom: 12. in Ezech: Pſ: 17.

Hom: 16. ad popul: Ant:

mam veris adornare virtutibus, ut grata & accepta sit Deo, quis sine zelo vel præsumere audeat? Multo labore sudatum
Ezech: est, inquit Propheta, & non exivit ex ea nimia rubigo
24. ejus, neq; per ignem. Quod si tu hoc igne careas: neq; rubiginem peccati abstuleris, neq; animam ad virtutum splendorem expolliveris. An ergo hæc parva cuiq; videbitur zeli sacerdotalis commendatio, sine qua divinum hoc opus salutis rectè geri, ac ne geri quidem potest? Quare ut necessitatem quoq; ipsius attingam, illud unum pro multis adferam. Quemadmodum enim ad hanc, qua nihil charius habemus, vitam corporis vel vivendam, vel conservandam spiritu vitali indigemus, sine quo corpus vitales functiones non exercet: ita sanè his qui præsunt necessarius est spiritus zeli; quem si non habent, deputantur cum mor-
Hæbr: tuis; nec unquam excitare poterunt conscientias hominum
9. ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi. Vultisnè hujus dicti mei veritatem clariùs cognoscere? Profero vobis illum unum Antistitem, cui Nomine Dei dictum est:
Apoc: Scio opera tua, quia nomen habes quod vivas, & mortuus
3. es. Esto vigilans, & confirma cætera, quæ moritura erant & pœnitentiam age. Cur quæso iste licèt vivat, mortuus esse dicitur? quia zelo, seu vigilantia Pastorali, quæ salus subditorum est, fuit destitutus.

Quæ autem sunt obsecro ista, quæ vigilans confirmare jubetur moritura? Montem quendam valdè profundum, videtur mihi S. Joannes his verbis ostendere; ex quo aurum hoc zeli eruitur, qui non alius est, nisi attenta cogitatio peccatorum, mortem animæ adferentium, quibus in toto orbe
1. Esdr: Deus offenditur. Considerabat benè has offensas ille, qui
9. scisso pallio & tunicâ, genibus flexis, ac manibus expansis, ante templum plorans, tales ad Deum fundebat preces: Deus meus: confundor & erubesco levare faciem meam ad te, quoniam iniquitates nostræ multiplicatæ sunt super caput nostrum, & delicta nostra creverunt usq; ad Cœlū, a diebus Patrum nostrorum: sed & nos ipsi peccavimus graviter, usq; in diem hanc, & in iniquitatibus nostris traditi sumus, in gla-

dium, & rapinam, & confuſionem vultus, ſicut in die hac. An non ita nobiſcum geritur? Typum & imaginem miſeriæ noſtræ præſentis videmus, quam delicta & iniquitates noſtræ attulerunt. Nolo ego delicta Ordinis noſtri Eccleſiaſtici, in quibus uti homines delinqvunt recenſere: ne quem mea nimis offendat oratio. Referat aliqua Dei ſervus, is qui ſe ſervum ſervorum Dei primus appellavit. Nulla animarũ lucra quærimus, ad noſtra quotidie ſtudia vacamus, terrena concupiſcimus; humanam gloriam intentâ mente captamus, Dei cauſas relinquimus. Locum ſanctitatis accipimus & terrenis actibus implicamur. Greg. Homil. 17. in Evang.

Iniquitates verò populi, quibus Spirituales mederi debent, quis numeraverit? Illæ ſunt, quarum præcipuas expreſſit Salvator: De corde exeunt homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemiæ; quibus addamus, ſcelera, quæ in hoc Regno impunè patrantur: ſcilicet ſacrilegia, templorum profanationes, perjuria manifeſta in judiciis, uſuras publicas, pauperum oppreſſiones; ſubditorum, quæ morti æquiparantur, ſervitutes; rapinas, raptus, matrimonii pupillaris nundinationes, & graviſſimas, quæ in dies creſcunt, hæreſes; & ſexcenta id genus. Hæc videbunt Antiſtites & Sacerdotes; & ſanandis his exitialibus animarum morbis, quantum in illis eſt, non invigilabunt? Quisq; noſtrum ſibi dictum exiſtimet: Eſto vigilans, & confirma cætera quæ moritura erant. Audite quibus verbis melliſluus Bernardus ad hanc vigilantiam ſeſe excitabat: Si ſtillantem in Cruce Domini Sanguinem collegiſſem, eſſetq; repoſitus penes me in vaſe vitreo, quod & portari ſæpiùs oporteret, quid animi habiturus eſſem in diſcrimine tanto? Et certè ad ſervandum accepi, pro quo mercator non inſipiens (ipſa utiq; Sapientia) ſanguinem iſtum dedit: ſed & habeo theſaurum iſtũ in vaſis fictilibus, & quibus multô plura quàm vitreis imminere pericula videantur. Quid ego? quò me vertam infelix, ſi tantum theſaurum, ſi pretioſum iſtud depoſitum, quod Chriſtus Sanguine ſuo pretioſius judicavit, contigerit Matt. 15. Serm. 3. ad deven. tu Dom

tigerit negligentiùs custodiri? Hoc itaq; aurum Zeli, seu fervoris Spiritus, ex isto monte eruite, illud commendatum habete, atq; uti summè necessariũ, à Deo precibus obtinete.

Argentum. Alterum à nobis in hoc fundamento superædificari debet argentum, prædicationis verbi Dei ministerium. Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum: ad quem thesaurum fidelibus dispensandum, prædicator veritatis, igneis quibusdam & admiratione dignis verbis admonet. Testificor coram Deo, & Christo JESU, qui judicaturus est vivos & mortuos, per adventum ipsius, & regnum ejus. Obtestatur Antistitem per judicium Dei, interminatur pœnam in illo judicio, si officium neglexerit. Ostendit præmium in adventu Regni Dei, si munus impleverit. Prædica inquit, verbum; non fabulas, neq; genealogias interminatas, quæ non sunt ad ædificationem Dei, uti quidam in funeribus perperam faciunt; neq; stultas & inutiles quæstiones: sed Dei verbum narra; quod in lege & in Evangelio continetur. Legatione fungeris pro Christo: Ostende literas fidei & legationis tuæ. Quid enim aliud est Scriptura sacra, ut pulchrè dicit S. Gregorius, nisi Epistola quædam Dei Omnipotentis, quam mittit per legatos ad creaturam suam. Prædica ergo verbum, & voluntatem ejus, qui te misit, populo declara.

(Psal: 11. 2. Tim. 4. 1 Tim: 4. 1 Tim: 1. ad Tit. 3. 2. Cor 5. Lib: 4. Epist: 84.)

Et sic quidem Apostolus cum Timotheo indulgentiùs, secum ipse severiùs agens, ad hoc munus laboriosum implendum, calcaria sibi addebat. Væ mihi, si non Evangelizavero: Si Evangelizavero, gloria mihi non est. Necessitas enim mihi incumbit. Væ autem mihi est, si non Evangelizavero. Illustrat hæc verba Theodoretus. Servus non se jactat, cùm Domini officium facit. Sed si resistit voluntati Domini, pœnam meretur. Quam pœnam? Damnationem, inquit Hieronymus: Væ mihi, si non Evangelizavero.

(1 Co: 9.)

Quanto autem studio & fervore, Cœleste hoc pabulum, Præsules populo ministrarent, S. Dunstani Primatis Angliæ Archiepiscopi Cantuarieñ: egregium factum indicat. Cùm

enim

enim ille senio confectus, die solenni, quo Dominus victor in Cœlum ascendit, ad Cœlestem gloriam ab Angelis vocaretur, respondisse fertur: Quò me invitatis, o Cœlestes Spiritus, non possum hodie venire, nisi priùs oves à Domino mihi commendatas, (quæ id plurimæ expectant, & quas decipere non est meum) pane verbi Dei hac die refecero; & quo tramite Christum sequi debeant, ostendero. Nec minori laude dignus S. Galdinus Episcopus Mediolani, qui cum aliquando non ovibus sed lupis prædicâsset: cùm inquam fer ventem concionem adversus hæreticos Catharros explevisset, spiritum Deo reddidit. O nimis felices Episcopos! qui ex labore prædicationis verbi Dei, migrarunt ad præmium, ad videndum æternum Dei Verbum.

Sur: in Vit: SS die 19. Maij.

Martyro: Ro: die 8. April:

Excusari quidem interdum possunt Antistites ab hoc munere, vel ob graves functiones Senatorias, vel si talentũ docendi non habeant: sed certè inexcusabiles sunt, si docendi & pascendi munus, personis, vel ob ætatis vel doctrinæ defectum, minùs idoneis, quod multorum malorum causa est, committunt.

Quare si hoc argentum probatum inveniatur, sive in alto, sive in humili loco, promite, & in usum Ecclesiæ proferte. Si qui in Clero probi, & divinarum ac humanarum rerum scientiâ exculti inveniuntur, hi Ecclesiasticis negotiis adhiberi, hi amari; & cùm amor opere probetur, & beneficiis debent ornari. Ita sanè in Ecclesia Dei superædificatur argentum.

Tertio loco, in hac pretiosa structura, poni debent lapides pretiosi, virtutum splendorem designantes: illi nimirum duodeni, Dei jussu in rationali seu pectore Sacerdotis positi, in quatuor ordines distincti. Quatuor enim ordines gemmarum Sacerdos in pectore gestat, cùm quidquid facit, loquitur, adeoq; cogitat, prudentiâ circumspectum, justitiâ rectum, fortitudine firmum, temperantiâ à malis omnibus fuerit secretum. Quid autem singuli illi duodeni lapides exprimant, ne longior sim, non recensebo: præsertim cùm

Exod: 28.

compen-

compendio quodam Deus ipſe id ſatis expreſſerit, jubens in
eodem ornamento Sacerdotali illa duo verba ſcribi: Do-
ctrina & Veritas. Doctrina, quòd ſit munus Paſtorum,
jam dictum eſt. Atqui non minùs ab illis exigitur Veritas,
quæ duplici genere, tam Verborum, quàm rerum concludi-
tur. Veritas quidem dictorum eſt, cùm verba rebus æquan-
tur; cùm falſitas omnis abeſt. Veritas autem rerum eſt, cùm
res ſeu facta cum verbis concordant: ut uno verbo dicam;
cùm Sacerdos quod monet, ipſe facit; cùm præit exemplo,
Matt: 22. & viam Dei in veritate docet; cùm non ſolum gemmis &
margaritis ornatus, ſed præclaris etiam factis illuſtratus, in
publicum prodit.

Miramur, & meritò quidem, tot & tanta ſcelera reperi-
ri; parvum profectum Verbi Dei videmus. In promptu vel
illa præcipua cauſa eſt, quod cum Sacerdotum vitâ mirabili-
ter pugnat oratio. Habent aliquid zeli, adferunt doctrinam:
ſed in veritate vitæ, in hoc tertio ſigno cum illis Magis Pha-
Exod: 8. raonis, pleriq; omnes deficiunt. Quod ergo Deus conjun-
xit in Sacerdote, Doctrinam & Veritatem, homo non ſepa-
Matt: 19. ret, ſi homines Deo conjungere, uti debet, ſatagit. Sit non
Cant: 2 ſolum vox ejus dulcis, ſed & facies decora; hoc autem eſt,
vita, per quam quiſq; velut ex facie cognoſcitur, virtutibus
ceu gemmis ornata. Nam ſi vita non eſt commendabilis,
& vox erit ingrata. Cujus enim vita deſpicitur, reſtat ut
ejus prædicatio contemnatur.

Oſtendi jam ædificia pretioſa, à Dei miniſtris erigen-
da: quæ ne nobis excidant, meminerimus illa, non ſolùm
D. Pauli, ſed etiam Dei voluntate in Sacerdotibus requiri.
Lev: 7. Quid enim illud eſt, quod Deus lege perpetua Aaroni & fi-
Chry. liis ejus Sacerdotibus de hoſtiis immolatis non alias partes
ſoſ: Hom. in cibum cedere voluit, quàm pectuſculum & humerū dex-
mil: 12 in Mar- trum; & uti D. Chryſoſtomus & Beda Venerabilis obſervāt,
cum. etiam σιαγονα, id eſt maxillam partem fuiſſe Sacerdotum.
Beda in Non ſine myſterio id factum. Sacerdoti cedit in cibum pe-
c. 27. Exod. ctus, ut habeat zeli fervorem in corde. Pars ipſius maxilla,
ut teneat

ut teneat verbum prædicationis in ore. Esca deniq; ejus armus dexter, ut sit ei juge exercitium virtutum in opere. Ex hac sanè triplici materia consummatio Sanctorũ & ædificatio Corporis Christi in fundamento veræ fidei efficitur. Zelus enim faciet, ut Antistes, & Sacerdos ædificare velit; Doctrina, ut sciat; virtus, ut possit. Verum de his hactenus. Transeo jam ad humiles illas casas, quæ comparatione priorum ex lignis, fæno & stipula, contextæ esse censentur; quibus lumen intelligentiæ paucis adferam. Si quis ædificaverit ligna, fænum, stipulam, uniuscujusq; opus manifestum erit.

Primum autem illud dico: Licet compertum sit, per hæc vilia & obscura opificia, plerosq; omnes, minores ideoq; veniâ dignos lapsus, intelligere; quorum sententiæ suus locus relinquatur: At certè non defuerunt aliqui ex Patribus, & viri eruditi, qui hæc aliò retulerunt. Ubi enim Christus fundamentum est, bonorum operum ædificiũ sequi debet: ad quod peccata etiam parva referri, & in isto fundamento collocari non possunt. Quæ enim Societas luci ad tenebras? Quid ergo hæc sibi volunt? Usum, incrementa, & accessiones fortunarum exprimunt. Cùm enim opes & facultates à natura ostensæ, vel ex sylvarũ amplitudine, vel ex pratorum abundantiâ, vel ex frugum ubertate præcipuè congerantur: qui progressum Ecclesiæ accessione & splendore divitiarum, & opum inprimis metiuntur, perinde faciunt, ac si in domum Dei, ligna, fænum, & stipulâ intulissent. Nunquid illos damnat Apostolus? Non equidem, quia & isti ædificant: sed illis qui aurum, & argentum, & gemmas adferunt, multò inferiores esse censet. Sed jam audio illas voces usitatatas. Atqui temporalia sine spiritualibus subsistere non possunt. Ita sanè; verum quatenus cura temporalium, Ecclesiasticis gerenda sit, divino apud Ezechielem edocemur oraculo, Sacerdotes, caput suum non radant, neq; comam nutriant, sed tondentes attondeant capita sua. Aperit nucleum mysterii, Doctor Morum, Quia enim cuncti, qui præsunt,

Aug. In Enchirid: c. 68.
D. Thomas in Com. 1. Cor: 3.
2 Cor: 6.
Ezech: c. 44.
Greg. 2. Past. c. 7.

præſunt, habere quidem exteriores ſollicitudines debent, nec tamen eis vehementer incumbere: rectè Sacerdotes, & caput prohibentur radere, & comam nutrire; ut temporales cogitationes nec à ſe funditus amputent, nec ad creſcendum nimis relaxent, ſed tondentes attondeant capita ſua, Serventur capilli in capite Sacerdotis ut cutem cooperiant: & reſecentur; ne oculos claudant, ac ſi dictũ fuiſſet: Provideantur neceſſaria, quæ ad cutem curandam & ornandam pertinent; At ne iſtæ curæ & cogitationes de ſuperfluis excreſcant, & ab illa pretioſa ſpirituali ſtructura animum & oculos avertant, magnopere eſt præcavendum.

Ut autem me ex his ligneis, imò aureis etiam, ædificiis breviter expediam: liceat mihi de amborum tum probatione, tum mercede (ut manifeſtationem omittam) duo verba cum Apoſtolo in medium adferre.

Primum verbum timorē incutit. Uniuscujusq; opus quale ſit, ignis probabit. Non ille quidē tantùm, qui poſt hanc
In: En- vitam peccatorum labes expiare creditur: verum uti Divus
chirid: Auguſtinus, & alii obſervârunt, ignis quidam doloris, cor
68. Greg: urens etiam in hac vita, quo opera miniſtrorum Dei pro-
lib: 4. bantur. Ille ſanè ab Eccleſiaſtico deſcriptus: Sicut aurum in
Dial: c. igne probatur; ita homines receptibiles ſeu acceptabiles in
39. Eccl: 2. camino humiliationis. Grave hoc examen, quia ignis examen eſt, nec vulgaris ſed Divina probatio, qua Deus examinat opera pretioſa, quæ per ignem illæſa tranſeunt: qua item probat illa fragilia quæ comburi neceſſe eſt, ac etiam unà cum illis cor aduri: utraq; ſanè ædificia per hunc ignem adverſitatis tranſeunt.

Alterum verbum, partim ſolatium, partim mœrorem adfert. Si cujus opus manſerit, mercedem accipiet. Magnum his qui perfectionis culmen attingunt, eſt ſolatium; quorũ ædificia magnifica, etiam in præſenti tempore, ab igne illæſa manent: & manent quidem, tum ad opus, tum ad meritum. Vultis, ut exemplis rem totam demonſtrem? Nunquid obſtinatus ille Pharao abſtulit zelum Moyſis, licet illum tot

malis

malis afflixisset. Mansit hoc aurum in illo igne, & prome- Exod: ruit ut audiret illud à Deo: Ecce constitui te Deum Pharao- 7.
nis. Quia habes zelum Dei, qui fortis & zelotes est. Sis Exod: ergo Deus Pharaonis. 20.

Nunquid idem tyrannus abstulit Aaroni argentum prædicationis: quæ utiq; mansit igne adversitatis examinata & præmio à Deo illustrata; ut ex interprete ad Prophetiæ dignitatem fuerit evectus, dicente Deo: & Aaron frater tuus erit Propheta. Et ut propinquiora adferam: An quæso immanis illius tyranni ignis, quem glorioso Martyri S. Laurentio adhibuit, lapides illos pretiosos, fortitudinem animi ejus, & beneficentiam in egenos, combussit? Mansit illud opus, quam laudem dat Martyri Ecclesia: Dispersit dedit pau- Psal: peribus, justitia ejus manet in sæculum sæculi. Mansit & 111.
merces. Cornu ejus, illud inquam robur animi Levitici, exaltatum est in Cælesti gloria. Et sic quidem manent pretiosa ædificia. At de illis vilibus, definitivam, & mærori permixtam sententiam audiamus. Si cujus opus arserit, detrimentum patietur. Non manent certè istæ structuræ, quoad opus. Adest inopinatus aliquis casus, & sævus hostilis ignis; & omnia confundit, interdum in cinerem & favillam convertit. Magnum toties, quod sine dolore commemorari nequit, detrimentum patimur, quando possessiones, horrea, subditi Ecclesiæ, expilantur: & militum, ante oculos nostros, cedunt furori. Ardent certè ista opera, nec manent. Sed numquid manent ad meritũ? Utiq; si in fundamento Christi ædificabantur, si Ecclesiæ ista acquirebantur. Opus ardet: Ipse autem qui damnum sentit, manebit, fundamenti incorruptione munitus. Salvabitur: sic tamen quasi per ignem. Non periclitabitur quidem omninò de salute: sed dolor iste & cruciatus ex amissione partus sui instar ignis peccata expiantis illi serviet. Procul autem hinc illi absunt, qui administrationem magistratûs, messem auream esse censent; qui aliud fundamentum, quàm quod positum est ponentes, ut Mich: Sacris verbis, utar, Sion in sanguinibus ædificant, ac sua quæ- 3.

Phil:2 runt, non quæ JESU Christi. Horum profectò quàm in præcipiti stet res salutis, Sacri de peculio Clericorum lati Canones, qui Spiritu Dei conditi, non falsa, sed vera loqvuntur & perfecta, ne ego id referam, satis abundè testantur.

Unusquisq; ergo videat, quomodo superædificet. Unusquisq; enim mercedem accipiet, secundùm proprium laborem; Dei enim adjutores sumus. (1.Cor. 3.)

Talia, quæso, & vos Patres, illa inquam magnifica & permanentia opera agite, & in Ecclesia inprimis relinquite. Aurum illud zeli obscuratum, pristino splendori restituite, (Thren 4.) Argentum verbi Dei neglectum, colorem ipsius optimum mutatum, & nigredine malæ vitæ fuscatum, probè expurgatum, populo reddi facite. Lapides sanctuarii (proh dolor) in capite omnium platearum dispersos ad Sanctuarium revocate. Hæc ut etiam à Clero præstentur, doctrinam incorruptam, & murorum emendationem, quæ propria Synodorũ tractatio est, legibus sancite: ac quòd caput rei est, leges ipsas optimas & saluberrimas executioni mandate. Hæc vos gloriosos, omnibus charos & venerandos, ac longo sæculo memorandos reddent. Invitat vos unà mecum ad hæc graviter præstanda divinus ille Ecclesiasticus, cujus præclara sententia totam hanc meam parenesim complexa esse videtur.

(Eccl. 14.) Omne opus corruptibile (quale est ligni, fœni, stipulæ) in fine deficiet; & qui operatur illud, ibit cum illo: & omne opus electum (auri & argenti, gemmarum) in fine justificabitur; hoc autem est, approbabitur à Deo; & qui operatur illud, honorificabitur in illo. Faxit jam Deus, ut pro his structuris excelsis ac veluti templis magnificis erectis, sive etiam pro illis vilioribus in rem Ecclesiæ utiliter constitutis, in illo fine, quo paucitas dierum nostrorum finietur brevi, honorem æternum referamus. (Job 10. 1.Pe: 5)

BREVE



BREVE APOSTOLICUM,

In quo Clericis Regni Polon: facultas datur, causas in criminalibus per Procuratorem promoven:

A tergo Brevis ejusdem inscriptio est talis:

Venerabilibus Fratribus, Archiepiscopo Gnesnensi Primati, Episcopisque ejus Suffraganeis, necnon Capitulis Cathedralium & Collegiatarum Ecclesiarum, atq; universo Regni Poloniæ Clero.

Intus verò:

GREGORIUS PP. XIII.

VEnerabiles Fratres, & dilecti Filii, Salutem & Apostolicam benedictionem. Et nostra Ec-

cleſiarum omnium ſollicitudo, & veſter erga Sanctã Sedem Apoſtolicam ſinceræ devotionis affectus requirunt, ut quantum poſſumus in Eccleſiarum veſtrarum regimine, & jurium ipſarum proſecutione, vobis auctoritate noſtra opitulemur. Cum itaque dilectus filius JACOBUS BRZEZNICIUS, Canonicus Poſnanienſis, veſtro nomine nobis expoſuiſſet, ſæpè accidere, ut in territoriis, villis, pagis, aliiſque locis, quæ ratione veſtrarum Eccleſiarum poſſidetis & in quibus temporale dominium, ac forſan merum & mixtum imperium, gladiiq; poteſtas vobis competit, Hæretici, Schiſmatici, Sectarii, ac alii milites & prædones, etiam generis nobilitate pollentes, vobis, & aliis Eccleſiaſticis perſonis plurimum infeſti ſint, & frequenter territoria, villas, pagos, & Vaſſallos & ſubditos, veſtraſq; & illorum res, poſſeſſiones, & bona, deprædari, extenuare, opprimere, & ibi graſſari, illiſq; varia diſpendia & damna inferre; boves, equos, & alia armenta vi ex bonis veſtris, certis limitibus & confiniis circumſcriptis ſeu circumdatis, diripere, & illinc abducere; ac denique infinita alia latrocinia, homicidia, neces, inſultus, & excurſiones facere & exercere audeant; & cùm vos, qui alio modo ſimi-

les vio-

les violentias, invaſiones, & veſtrorum Vaſſallorum deprædationes repellere non valetis, nec poteſtis, adverſus Hæreticos, Schiſmaticos, Sectarios, latrones & homicidas, nec non alios delinquentes prædictos criminaliter agere & experiri, ac inquirere, debitiſq; pœnis cöerceri & puniri facere intendatis, ſi vobis ad id Sedis Apoſtolicæ ſuffragetur auctoritas; & ideò nobis idem pro parte veſtra humiliter ſapplicaverit, quatenus in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur: Nos cupientes, ut delinquentium ſimiles auſus congruis remediis cöérceantur, aliis aditus committendi ſimilia præcludatur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis, ut per Procuratores à vobis deputari ſolitos, quoſcunq; Hæreticos, ſectarios, latrones, homicidas, & alios delinquentes præfatos, coram competentibus Judicibus accuſare & deferre, & contra eos tàm civiliter quàm criminaliter & mixtim agere, & experiri; necnon deſuper quoſcunq; proceſſus & inquiſitiones formari, ac ſententias ferri & promulgari, eaſq; debitæ executioni demandari petere, inſtare, & procurare, abſque excommunicationis aut irregularitatis, vel inhabilitatis, ſeu privationis beneficiorum Eccleſiaſticorum,

per vos

per vos pro tempore obtentorum, aut cujusvis alterius pœnæ, vel censuræ, incursu, liberè & licitè possitis, Apostolicâ authoritate, tenore præsentium, de speciali gratia concedimus, & indulgemus, ac vobiscum quatenus opus sit, desuper dispensamus. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, cæterisq; contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, Die VIII. Aprilis. M.D.LXX.VII. Pontificatûs Nostri Anno Sexto.

Vi: Cæ: Gloriorius.

De mandato Illustriss: & Reverendiss: Dni, D. JOANNIS WEZYK, Dei & Apostolicæ Sedis Gratia Archiepiscopi Gnesnensis, Legati Nati, Regni Poloniæ Primatis, & primi Principis; ex suo Originali, quod in Archivo Ecclesiæ Metropolitanæ Gnesnen: asservatur, descriptum, per me Notarium infrascriptum collacionat: & Sigillo Suæ Illustriss: Celsitud: communit: in fidem & testimonium præmissorum.

Venceslaus Ceynarovic, J.U.D. Sac: authoritate Apostolica publicus, & Actorum Suæ Illustriss: Celsitud: Notarius, subscrip: m. p.

1825a

